E703/P734n #

John Carter Brown
Library
Brown University

798 Bl. 10

NOVA PLANTARUM AMERICANARUM GENERA,

Authore P. CAROLO PLUMIER Ordinis Minimorum in Provincia Franciæ, & apud Insulas Americanas Botanico Regio.

IBROCAEN UNIVERSITY



PARISIIS,
Apud JOANNEM BOUDOT, Regis & Regiæ Scientiarum Academiæ Typographum, via Jacobæa, ad Solem Aureum.

M. DCCIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

RP.ICB

1885

BOTANICIS ET BOTANO-PHILIS

FRATER CAROLUS PLUMIER MINIMUS S. D.

NON omnibus conceſſum Corinthum adiiſſe, neque omnibus datum longas ſuſcepiſſe peregrinationes. Ne ergo ſibi ſolis vixiſſe videantur, qui exteras nationes, regioneſque longinquas ſuis perluſtrarunt itinerationibus, æquiſſima poſtulat ratio, ut tandem patriis laribus redonati, nedum concives ſuos, ſed & litterarium orbem aliquali ſaltem parte fructuum ſuarum peregrinationum oblectent, & ad peregrinandum curioſos invitent. Quis namque charam domum, gratamque patriam deſerat lubenter? Quis dilectis volens valedicat amicis? Quis tandem audax videat mare turgidum, infames ſcopulos, monſtra natantia, & homines hoſpitibus feros, ni ſe merce, mercede aut fama, quondam fore beatum ſperet. Me equidem (fateor) nec merx, nec merces, nec fama, ſed innatus tentavit in dulci juventa videndi diſcendique fervor. Puerulus namque vix bimus, charæ genitricis ulnarum impatiens, invitam genitricem

puerili, ſed celeri gradu, ad mare, ad rura trahebam; adoleſcens remotis delectabar rupibus, maritima ſolus frequentabam littora; me tandem ſylvæ, & gelida nemora ſecernebant ſodalibus. Deus Deus nam vocabat, & volebat me ultra patriæ limites ſalientem, ad Americanas inſulas pervolare, quas bis & ter perluſtratus, quid tandem ferat hæc tellus, ſummis ſane laboribus ac periculis, (divino me ſemper protegente numine) didici, diſcendumque, eodem ſummo favente numine, curioſis lubentiſſime concedam. Interea Catalogum cunctarum plantarum, cunctorumque animantium, quas, & quæ tribus meis peregrinationibus ab anno 1689. ad annum 1697. delineavi, & deſcripſi, prælibanbum Botano-philis & curioſis meditabar. Diſtuli equidem, at dilatio emolumenta potius quam detrimenta fecit. Attulit namque optanti auxilium vir Turnefortius noſter, totius ſane Botanices Pharos fidiſſima; cujus inſtitutionum botanicarum face, per immenſum plantarum pelagus præfulgente, nullus amplius in plantarum differentiis agnoſcendis error pertimeſcendus; illi, cui tali libuerit gaudere lumine, inſtitutionumque leges illibatas ſervare. His namque dirigentibus, ſiſymbrium pro mentha, aut ocimum pro ſerpillo nullatenus à quærente ſumentur. Harum ego inſtitutionum fretus tutamine, quales plantas in Inſulis Americanis adinvenerim, noti ſcilicet fuerint generis, an ignoti, recta potui dijudicare, qui prius priorum Botanicorum errores ſecutus, plantam lupulum appellabam, quia lupuli noſtratis inſtar ſcandens erat, foliaque habebat fere lupulina; nulla habita florum ac fruc-

tuum ratione, ſed tantum totius plantæ facie, foliorum ſcilicet & caulium vimineorum diſpoſitione. Hæ ſunt ergo auſpicatiſſimæ inſtitutiones, quæ me tum ab erroribus in plantis diſcernendis, tum à Catalogo quem deſtinabam, liberarunt. Placuit namque benigniſſimo inſtitutionum botanicarum Authori, inſtitutionibus ſuis plantas generis jam certi & noti, in Americanis Inſulis à me delineatas & deſcriptas inſeruiſſe, & ex quibuſdam ignoti generis nova quædam genera inſtituiſſe. Reſtabant ſed plurimæ, quarum genera nobis adhuc incomperta, & ex quarum floribus & fructibus nova genera erant neceſſario ſtabilienda, ne deinceps pro talibus plantis apud Botanicos, aut quæſtio, aut dubium moverentur. Libuit itaque curioſorum & Botanicorum ergo, plantas incertas certis generibus inſignire, iis characterem generis ex florum, & fructuum conſtitutione imprimendo, ac nomenclaturam generum, partim ex Indicorum Botanicorum Libris, partim etiam ex celebriorum quorumdam Botanicorum, aut Botano-philorum nominibus deſumendo; ſic namque potenti placitum juſtitiæ, dignos laude viros chartis vetare mori, ipſorumque comam cingere quæſita meritis lauro.

Lutetiæ Pariſiorum, ex Conventu Minimorum ad Plateam Regiam 27. *Aprilis* 1703.

APPROBATIO DOCTORIS.

EGo infra ſcriptus, Conſiliarius Regis, Medicinæ Lector ac Profeſſor Regius, Doctor Medicus Pariſienſis; juſſu illuſtriſſimi Galliarum Cancellarii, hunc Librum legi, cui titulus: *Nova Plantarum Americanarum Genera*, Autore Patre Carolo Plumier, Ordinis Minimorum in Provincia Franciæ, & apud Inſulas Americanas Botanico Regio. In quo nihil reperi quod Philo botanis ſummæ jucunditati, æque ac utilitati futurum, ſuoque Autori maxime laudi ducendum non cenſeam. Datum Pariſiis, die ſexta menſis Martii, anni 1703.

ANDRY.

FACULTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS pro editione Operis.

NOs Frater JOSEPHUS GASCH, Lector jubilatus, Supremæ Hiſpaniarum Inquiſitionis Qualificator, & totius Ordinis Minimorum Corrector Generalis.

Dilecto nobis in Chriſto, Patri Carolo Plumier, noſtri Ordinis Sacerdoti, &c. Salutem in Domino.

Præſentium vigore litterarum, licentiam tibi impertimus typis edendi Opera quæ præ manibus habes, dummodo diligenter examinentur & approbentur à duobus Theologis noſtris, à Reverendo admodum Patre Provinciali loci, in quo ea prælo mandabis, nominandis & deputandis; cæteraque ſerventur, quæ de jure ſervari debent. In quorum fidem, &c. Datum Romæ 9. Maii 1700.

Frater JOSEPHUS GASCH, humilis Corrector Generalis.

Locus † ſigilli.

De Mandato Reverendiſſimi Patris Generalis, Frater JOSEPHUS BERTIER, *Aſſiſtens Gallus.*

LI CENTIA

LICENTIA REVERENDI PATRIS PROVINCIALIS Provinciæ Franciæ.

NOs Frater NICOLAUS FOUCQUEREL, Ordinis Minimorum in Provincia Franciæ Provincialis,

Attenta Reverendiſſimi Patris JOSEPHI GASCH Generalis noſtri licentia R. Patri Carolo Plumier, ejuſdem Inſtituti ac Provinciæ Sacerdoti, Theologo, & Botanico Regio conceſſa, prælo mandandi omnia, quæ præ manibus habet, Opera; dummodo à duobus noſtræ Provinciæ Theologis diligenter examinata approbentur; tenore Præſentium nominamus Reverendos admodum Patres Renatum Thuillier, & Joannem Franciſcum Mangon, antiquos ſacræ Theologiæ Profeſſores, amboſque Exprovinciales, ad *Nova Plantarum Americanarum Genera* perſpicacibus oculis colluſtranda, quatenus ſervatis de jure ſervandis in lucem citius prodeant Datum in noſtro ad Plateam Regiam Regio Conventu Pariſino, ſub noſtro manuali ſigno, noſtrique Provincialis Officii Sigillo, hac ſeptima Aprilis luce an. 1703.

Frater NICOLAUS FOUCQUEREL, Provincialis.

Locus † Sigilli.

APPROBATIONES THEOLOGORUM ORDINIS.

NOs infra ſcripti Ordinis Minimorum in Provincia Franciæ Theologi, ex commiſſione Reverendi admodum Patris, P. Nicolai Foucquerel, ejuſdem Provinciæ Provincialis, legimus & evolvimus Librum, cujus titulus eſt: *Nova Plantarum Americanarum Genera*, Authore R. P. Carolo Plumier, Ordinis Minimorum in Provincia Franciæ, & apud Inſulas Americanas Botanico Regio; in quo plantarum Americanarum ſedulam obſervationem, accuratiſſimam deſcriptionem generum, & ſpecierum exactiſſimam diſcutionem vidimus, & probavimus: nec dubium nobis remanſit quin futurus ſit maximæ utilitatis rebus botanicis dignoſcendis, ſicut & jucunditatis ipſiſmet Botano-philis; quare typis dignum, & citius tradendum judicavimus. Datum in hoc Pariſienſi Conventu Minimorum ad Plateam Regiam, hac luce Aprilis duodecima, an. 1703.

Frater RENATUS THUILLIER, Exprovincialis.

Frater JOANNES FRANCISCUS MANGON, antiquus Provincialis.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la Grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes Ordinaires de nôtre Hôtel, Baillifs, Senechaux, Prevosts, Juges, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Justiciers & Officiers qu'il appartiendra ; Salut : Le Pere CHARLES PLUMIER, Minime, Nous ayant fait remontrer qu'il desireroit faire imprimer un petit Ouvrage de sa composition, intitulé : *Nova Plantarum Americanarum Genera* ; s'il nous plaisoit luy accorder nos Lettres sur ce necessaires. Nous lui avons permis, & accordé, permettons, & accordons par ces Presentes, de faire imprimer par tel Imprimeur, ou Libraire qu'il voudra choisir, ledit Livre, en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon luy semblera, pendant le temps de trois années consecutives, à compter du jour de la datte des Presentes, & de le faire vendre & debiter par tout nostre Royaume, à condition que l'impression s'en fera dans nôtre Royaume, & non ailleurs, en beau papier & bon caractere, conformement aux Reglemens de la Librairie ; qu'avant que d'exposer le Livre en vente, il en sera mis deux Exemplaires dans nôtre Bibliotheque publique, un autre dans le Cabinet des Livres de nôtre Château du Louvre, & un en celle de nôtre tres-cher, & feal Chevalier, Chancelier de France, le sieur Phelyppeaux, Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres, & que ces Presentes seront regîstrées és Regîstres de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris ; le tout à peine de nullité d'icelles. Du contenu desquelles vous mandons, & enjoignons de faire joüir l'Exposant, ou ceux qui auront droit de luy, pleinement, & paisiblement, cessant, & faisant cesser tous troubles & empêchemens. Voulons qu'à la Copie des Presentes qui sera imprimée au commencement, ou à la fin dudit Livre, foy soit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier nôtre Huissier, ou Sergent, de faire pour l'execution des Presentes toutes significations, défenses, saisies, & autres actes requis, & necessaires, sans demander autre permission, & non-obstant clameur de haro, chartre normande, & Lettres à ce contraires ; Car tel est nôtre plaisir. Donné à Versailles le dix-sept jour de Mars l'an de Grace mil sept cens trois, & de nôtre Regne le soixantiême. Par le Roy en son Conseil. Signé, LE COMTE.

Regîstré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs, conformement aux Reglemens. A Paris le 2. Avril 1703.

Signé P. TRABOUILLET, *Syndic.*

Le Reverend Pere Plumier a cedé son droit à Jean Boudot, pour en joüir suivant l'accord fait entr'eux. A Paris, le 12. Avril 1703.

NOVA

NOVA

PLANTARUM AMERICANARUM

GENERA.

PALMA.

PALMA inter plantas planta ſane nobiliſſima, quæque genus ſuum inter plantas Americanas prima conſtituat ſumme digna ; inter cæteras quippe plantas in iis enaſcentes excelſius caput attollens. Unde tamen character ejus generis deſumendus difficillimum determinare , cum in floribus & fructibus ejus ſpecierum mira varietate ludat natura. In quibuſdam etenim ſpeciebus flores inſunt monopetali , in aliis polypetali ; ex his alii fertiles , alii ſteriles ; in una ſpecie fertiles & ſteriles in eadem vagina contenti , ſed ab invicem ſeparati ; in altera vero ſteriles in una vagina , & in alia vagina fertiles ; in quibuſdam tandem ſpeciebus flores omnino ſteriles & embryones nudi à floribus ſeparati. In fructibus etiam ſpectabilis reperitur varietas. Apud namque quaſdam palmarum ſpecies carnoſi ſunt & molles , oſſiculoque duriſſimo fœti , (has dactyliferas dicam ,) apud alias vero ſicci , duri , ſeu in teſtam oſſeam abeuntes , cortice molli aut fibroſo obvolutam , nucleoque fœtam , aut ſolido ſeu integro , aut vacuo , ſed humore aqueo , pleno , (iſtas cociferas appellabo.) In tanta igitur florum ac fructuum varietate , qualis ex ipſis floribus & fructibus character ſit aſſignandus dif-

ficillimum ſane dijudicare. Quia tamen in omnibus ſpeciebus quas aut ipſe apud Inſulas Americanas viderim, aut apud Authores obſervaverim, eadem inſunt facies, ſimilis florendi & fructificandi modus, (ſcilicet e vaginarum ſeu ſpatharum ſinu, florum & fructuum eruptio,) caudex ſimplex, rectus, nullis pollens ramis, ſed tantum coſtis folioſis, in orbem poſitis, in ipſa ſummitate inſtructus; ex ipſa facie & ex ipſo flores & fructus ferendi modo characterem Palmæ eſſe deſumendum exiſtimavi, talem ejus characterem ſic definiendo & ſtabiliendo.

Tab. 1. Palma eſt plantæ genus caudicis unius recti A, ramos non producentis, neque ſurculos ex radice proferre valentis, ſed in ſummitate coſtis inſtructi, in orbem poſitis B, folia deferentibus, præ vetuſtate areſcentibus aut decidentibus, novis ſemper e reliquarum medio emergentibus; inter quas vaginæ ſeu ſpathæ C erumpunt ab imo ad ſummum dehiſcentes, & floribus ac embryonibus racemoſis fœtæ.

Hoc Charactere Palma diſtinguitur à quibuſdam Filicis arboreſcentis ſpeciebus, quæ equidem caudice aſſurgunt ſimplici, recto, nec ramos, nec ſurculos proferente, ſed tantum coſtas folioſas in ſummitate in orbem poſitas, & præ vetuſtate decidentes, novis ſemper per medias enaſcentibus. Diſtinguitur etiam ab ſpeciebus illius plantæ quam vulgo *Bananier* ſeu *Muſam* vocant; quæ etiam caudice ſeu trunco pollet ſimplici, foliis in orbem poſitis, in ſummitate inſtructo, vaginamque producente florum & embryonum racemo fœtam; at e radice ſingularum ſpecierum, ſeu cujuſlibet trunci Stolones producuntur plantam perennandi cauſa.

Palmæ ſpecies ſunt.

Palma major. C B pin. 506. Palma dactylifera, Linſcot 4. part. Ind. Orient. fig. 14.

Palma minor, C B pin. 506. Chamæriphes Dod. pempt. 820

Palma indica, coccifera, anguloſa, C B pin. 508. Tenga Hort. Mal. fig. 1. tom. 1.

Palma cujus fructus ſeſſilis Faufel dicitur, C B pin. 510. Caunga, H M fig. 5. t. 1.

Palma coccifera complicato folio, fructu minore, Pauli Hermans. Carim-pana, H M fig. 9. t. 1.

Palma malabarica floſculis ſtellatis, fructu longo ſquamato, in

H M 13. Ampana ejusdem fig. 10. t. 1.
Palma dactylifera fructu acerrimo, in H M 16. Schunda-pana ejusdem fig. 11. t. 1.
Palma montana malabarica, folio magno complicato, acuto, flore albo racemoso, fructu rotundo, in H M 6. Codda-panna ejusdem primis duodecim fig. tom. 3.
Palma prunifera Iaponensis, Hort. Acad. Lugd. Bat. 472. Todda-panna, H M 9. figuris novem, t. 3.
Palma sylvestris malabarica, folio acuto, fructu pruni facie, in H M 16. Katou-indel ejusdem 15. fig. quatuor, t. 3.
Palma cocifera, vaginis ventricosis & liratis.
Palma cocifera, costarum lateribus aculeatis.
Palma cocifera, caudice tumido & aculeato.
Palma cocifera, altissima.
Palma humilis, cocifera, latifolia, major.
Palma humilis, cocifera, latifolia, minor.
Palma dactylifera, palustris.
Palma dactylifera, fructu globoso, minor.
Palma dactylifera, fructu globoso, major.
Palma dactylifera, coriaria, fructu subcæruleo.
Palma dactylifera & vinifera.
Palma dactylifera, latifolia.
Palma dactylifera, aculeata, fructu corallino, major.
Palma dactylifera, aculeata, fructu corallino, minor.
Palma dactylifera, aculeata, minima.
Palma dactylifera, radiata, minor, glabra.
Palma dactylifera, radiata, major, glabra.
Palma dactylifera, radiata, minor, aculeata.
Palma dactylifera, radiata, major, costarum lateribus aculeatis.

BORBONIA.

BOrbonia est plantæ genus flore A monopetalo, Campani-formi, aut Hypocrateri-formi & multi-fido: e cujus umbilico B surgit pistillum, quod deinde abit in fructum D glandi-formem, carnosum, intus in duos lobos divisum E. Floris autem inferior pars C evadit in calycem fructus carnosum & pileatum. F *Tab. 2.*

Borboniæ ſpecies ſunt.

Borbonia fructu oblongo, nigro, calyce coccineo.

Borbonia fructu globoſo, nigro, calyce e viridi rubente.

Sereniſſimus Princeps Gaſto Borbonius, Regius ſanguis, Magnorumque Regum genus, Henrici Magni filius, Magnique Ludovici patruus, inter cæteras virtutes Regias tanto Botanices delectabatur amore, ut apud Bleſas & Pariſios, Heſperideos hortos, plantas ſcilicet totius Orbis rariores immenſis ſumptibus tranſtuliſſet, quaſve ne hyeme abſentes ſibi abeſſent, peritiſſimi Pictoris, Nicolai Roberti Bleſenſis manu in membranas transferri, nativis nempe coloribus ad vivum depingi amplis etiam ſumptibus curabat. Miraris in tanto Principe tantum erga Botanicen amorem? Mirare tot Principum, totque Magnatum tam raros apparere nantes in tam vaſto innocentium deliciarum gurgite, non animos obruente, ſed oblectante. Quid etenim plantas intueri delectabilius & innocentius? Quid tandem plantis utilius? Plantæ nos nutriunt, plantæ nos ſanant, plantæ nos tuentur; Achemenio coſto, Mygdoniis opibus, Phrygio lapide, purpurarum ſidere clariores: earum uſus nos deliniunt dolentes.

GUIDONIA.

Tab. 24. GUidonia eſt plantæ genus flore A monopetalo quidem, ſed coni trunci æmulo C & calyci B multi-fido inſidente. Ex calycis autem umbilico ſurgit piſtillum B quod deinde abit in fructum E ovatum, carnoſum, quadrifariam ab apice ad baſim dehiſcentem F, ſeminibusque fœtum ut plurimum oblongis H, Placentæ G adhærentibus.

Guidoniæ ſpecies ſunt.

Guidonia ulmi foliis, flore roſeo.

Guidonia ulmi foliis, flore niveo.

Guidonia aurantii foliis, aculeata.

Guidonia nucis juglandis foliis, major.

Guidonia nucis juglandis foliis, minor.

Illuſtriſſimus D. Guido Creſcentius Fagon, Regi à ſanctioribus Conſiliis, Archiatrorum Comes, Guidonis Broſſai, Medici & Botanici Regii ampliſſimi, Horti Regii Pariſienſis amplificatoris, primique Præfecti, nepos; in Horto Regio Pariſienſi, ceu ex Chirone in Parnaſſo natus, futuræ excellentiæ certa præſagia. Poeſeos namque,

Medicinæ atque Botanices gloria nulli sane secundus. Cui non favor, sed virtus præstitit, ut ex millibus Medicis solum sibi elegerit Medicum Ludovicus Magnus.

PITTONIA.

PIttonia est plantæ genus flore A monopetalo, campani-formi, globoso & multi-fido. Ex cujus calyce C surgit pistillum C infimæ floris parti B ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum, D mollem seu baccam sphæricam succi plenam, & duobus seminibus E fœtam ut plurimum oblongis F. *Tab.* 34

Pittoniæ species sunt.

Pittonia arboreſcens, chamædrifolia, major.
Pittonia arboreſcens, chamædrifolia, minor.
Pittonia humilis, Anchusæ foliis.
Pittonia scandens baccis niveis, nigris maculis notatis.
Pittonia fruteſcens, folio carnoso, hirsuto & obtuso.
Pittonia hirsutissima & ramosissima, baccis albis.
Pittonia racemosa, nicotianæ foliis fœtidissimis.

Clarissimus D. Josephus Pitton Tournefort, Aquisextiensis, Doctor Medicus Parisiensis, Academiæ Regiæ Scientiarum socius, ac in Horto Regio Botanices Professor, Institutionum rei Herbariæ ac Botanici Parisiensis Author, peregrinatione ad Orientales plagas famosus, Joannis Scholastici Pitton, D. Medici eruditissimi, Patriæ & Provencæ Annalistæ, & Historio-graphi irreprehensibilis, nepos. Cujus familiam Patria Magistratibus decoravit, cujusque familia Patriam Magistratibus decoravit.

BROSSÆA.

BRossæa est plantæ genus flore A monopetalo, Campani formi equidem, sed coni trunci æmulo & calyci B multi-fido insidente, ex cujus umbilico surgit pistillum C quod deinde abit in fructum E rotundum, quinque capsularem G seminibus fœtum H minutis, & calyce ipso deinde carnoso, molli, sphærico, & quinque fissuris pervio concluſum. D. *Tab.* 176

Brossææ unicam vidi speciem.

Brossæa fruteſcens flore coccineo, fructu nigro.

Clarissimus D. Guido Brossæus (Guy de la Brosse) *Medicus Regis ordinarius, de re herbaria & medica optime meritus, primus Horti Regii Parisiensis præfectus, qui Hortum vere Regium extrui & plantis undique conquisitis ornari curavit. Doctissimum tractatum edidit Gallice de natura, virtutibus & utilitate plantarum; opus sane doctissimum & utilissimum. Extat Parisiis apud Rollinum Baragnes* 1628. *in* 4.

XIMENIA.

Tab. 21. XImenia est plantæ genus flore A monopetalo, campaniformi, trifariam diviso, & oris plerumque repandis. Ex calyce autem C surgit pistillum G quod deinde abit in fructum ovatum, F. mollem, osficulo fætum D ejusdem formæ E nucleum includente.

Ximeniæ unicam speciem agnovi.

Ximenia aculeata flore villoso, fructu luteo.

Luc. vading. de Script. Ord. Minor. 141. » *Reverendus P. F. Franciscus Ximenes Hispanus, Ordinis Minorum* » *Provinciæ sancti Gabrielis., unus ex primis duodecim Patribus* » *Minorum qui Indis Occidentalibus Evangelii lucem intulerunt.* » *Mexicanum idioma cum optime calleret, scripsit de natura &* » *virtutibus arborum, plantarum, & animalium novæ Hispaniæ,* » *& præsertim regionis Mexicanæ, quorum usus est in medicina,* » *libros quatuor in urbe mexicana impressos A C* 1615. *a Joanne* » *de Laet in suo opere de novo orbe passim commendatos.*

HERNANDIA.

Tab. 40. HErnandia est plantæ genus flore aut monopetalo, A campani-formi patente & multi-fido; aut rosaceo B plurimis scilicet petalis constante in orbem positis. Alii steriles sunt, alii fertiles. Horum calyx C abit deinde in fructum fere sphæricum, vesicarium & perforatum D, nucula fætum, E striata, F nucleum condente rotundum.

Hernandiæ unicam speciem novi.

Hernandia amplô Hederæ folio umbilicato.

Franciscus Hernandez Hispanus, in Mexicana novi orbis Regia primarius Medicus. Philippi II. Regis Hispaniarum jussu, per quam sedula multorum annorum observatione de plantis, liquori-

bus & aliis rebus medicis præclarum opus condidit, impreſſum Romæ A C 1651. Typis Vitalis Maſcardi. Fol.

PISONIA.

PIſonia eſt plantæ genus flore A monopetalo, campani-formi & multi-fido. Ex cujus calyce B ſurgit piſtillum C infimæ floris parti, D ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum C oblongum, angulatum, quinque fariam ab apice ad baſim dehiſcentem, F & ſemine fœtum G ut plurimum oblongo. *Tab 11.*

Piſoniæ unicam vidi ſpeciem.

Piſonia aculeata fructu glutinoſo & racemoſo.

Guillelmus Piſo Lugduno-Batavus D. M. Braſiliam comitibus Georgio Marcgravio & H Cralitzio Germanis, medicinæ & matheſeos, candidatis, adjunctis peragravit, deque medicina Braſilienſi libros quatuor confecit & conſcripſit, quorum quartus de facultatibus ſimplicium Braſilianorum tractat, iconibus ſupra quingentas, adjectis. Opus ſane Americanis utile & curioſis dignum. Extat Lugduni-Batavorum & Amſtelodami apud Elzevirios & Hackios 1648. & 1658. fol.

MARCGRAVIA.

MArcgravia eſt plantæ genus flore A monopetalo, campani-formi piſtillo B ſtaminibus C quibus reijci ſolet ſtipato, incumbente, piſtillum autem abit deinde in fructum D fere ſphæricum, mollem, carnoſum, in quo E veluti nidulantur multa ſemina exigua F. *Tab. 29.*

Marcgraviæ unicam reperi ſpeciem.

Marcgravia ſcandens fructu radiatim poſito.

Georgius Marcgravius de Liebſtad Miſnicus Germanus Hiſtoriam rerum naturalium Braſiliæ libris octo (quorum tres priores de plantis) conſcripſit, per ſexcennium mediterraneorum locorum explorator ſedulus fuit, in Africam tandem transfretans ſuccubuit. Opus ejus in ordinem digeſſit Joannes de Laet. Antverpianus, annotationes multas addidit & variaab Auctore omiſſa ſupplevit & illuſtravit. Extat cum Hiſtoria Braſiliæ Piſonis Lugd. Bat. & Amſtel apud Elzevirium &. 1646. in Fol.

COA.

Tab. 35. COa est plantæ genus flore B monopetalo, campani-formi, globoso, ex cujus Calyce A multi-fido surgit pistillum D posticæ floris parti C ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum E, ex tribus capsulis compositum membranaceis, compressis, bivalvibus, & in duo loculamenta divisis, semine G fœta oblongo & alato.

Coæ unicam reperi speciem.

Coa scandens, fructu trigemino, subrotundo.

Hippocrates Cous, seu in Insula Coo natus, patre Heraclide, & Pherenate, aut Praxitea matre, primo Olympiadis LXXX. anno, hoc est, anno ante Christum 459. primus medendi Præcepta clarissime condidit, & volumina, Herbarum mentione referta. Obiit apud Larissæos, anno ætatis 85. vel 90. aliis 104. vel 109. hoc est, ante Christum 374. vel 369. aut 355. vel 350.

ERESIA

Tab. 25. EResia est plantæ genus flore A monopetalo, campani-formi, patente & multi-fido; ex cujus calyce C surgit pistillum D infimæ floris parti B, ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum E globosum, membranaceum, seminibusque fœtum placentæ adhærentibus.

Eresiæ unicam vidi speciem.

Eresia foliis aquifolii longissimis.

Theophrastus Eresius, Melanthii Fullonis Filius, natus est Eresi, in Insula Lesbo, Homo suavitate insigni, Linguæ pariter atque vitæ. Cui palma danda est ob eos quos de plantarum Historia & causis reliquit Libros sexdecim, & plures, quibus simile nunquam procuderunt Romana ingenia. Vixit annos quinque & octoginta. Moriens de brevitate vitæ humanæ conquestus est. Quæ si potuisset esse longior, futurum fuisset ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina, hominum vita erudiretur.

DIOSCOREA.

DIoſcorea eſt plantæ genus flore A monopetalo, campani-formi, patente & multi-fido: Ex cujus calyce B ſurgit piſtillum, quod infimam floris partem perfodit, abitque deinde in fructum C trigonum, & in terna loculamenta E diviſum, ſeminibuſque fœtum planis, orbiculatis & marginatis F. *Tab. 26.*

Dioſcoreæ unicam obſervavi ſpeciem.

Dioſcorea ſcandens foliis Tamni, fructu racemoſo.

Pedanius aliis Pedacius Dioſcorides, ex ea Ciliciæ Civitate oriundus quam Anazarbam, poſtea Cæſaream Auguſtam nominarunt, cæteros ſuperavit ſtudio ac diligentia, quibus materiam medicam, & potiſſimum Botanicam complexus eſt. Plantarum autem ſexcentarum circiter mentionem fecit, quarum quadringentas & decem vel deſcripſit, vel cum magis cognitis comparavit. *Tournef. inſt. r. herb. 6. 2.*

PLINIA.

PLinia eſt plantæ genus flore A monopetalo, campani-formi, patente & multi-fido; e cujus calyce B ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum D mollem, globoſum, ſtriatum, & ſemine E fœtum, ejusdem formæ F. *Tab. 11.*

Pliniæ unicam novi ſpeciem.

Plinia fructu croceo, odorato.

Cajus Plinius ſecundus Veronenſis, rem herbariam cordi tam habuit, ut in Hiſtoria mundi, quam Veſpaſiano Imperatori, vel, ut aliis placet, Tito conſecravit, à duodecimo Libro obſervante Geſnero uſque ad vigeſimum ſeptimum variis omnino modis de ſtirpibus tractet, philoſophice, hiſtorice, medice, ruſtice, &c. Miſeni Claſſem imperio regens, incendio Veſuvii miſere periit.

CAINITO.

CAinito eſt plantæ genus flore A monopetalo, campani-formi, patente, multi-fido; ex cujus calyce B ſurgit piſtillum C, quod deinde abit in fructum D mollem, carnoſum, globoſum aut olivæ-formem oſſiculis, vel oſſiculo E fœtum nucleum includente F. *Tab. 7.*

Cainito ſpecies ſunt.
Cainito folio ſubtus aureo, fructu mali-formi.
Cainito folio ſubtus aureo, fructu olivæ-formi.
Cainito nomen eſt Americanum. Oviedo Hiſt. Ind. Occid. lib. 8. 139.

CARAGUATA.

Tab. 33. CAraguata eſt plantæ genus flore A monopetalo, campaniformi tubulato, ut plurimum ad oras trifido; ex cujus calyce C ſurgit piſtillum poſticæ floris parti B, ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum D oblongum, acuminatum, membranaceum, à ſummo ad imum in tres partes dehiſcentem E, ſeminibuſque fœtum pappoſis F.

Caraguatæ ſpecies ſunt.
Caraguata latifolia, multiplici ſpica, flore albo.
Caraguata tenui-folia, paucioribus ſpicis.
Caraguata latifolia, clavata.
Caraguata clavata & ſpicata, foliis ſerratis.
Caraguata nomen eſt Americanum. Piſo lib. 4. cap. 82.

KARATAS.

Tab. 33. KAratas eſt plantæ genus flore A monopetalo, infundibuliformi, trifido, & calyci B inſidente; is autem calyx abit deinde in fructum C fere conicum, carnoſum, membranâ in quatuor partes ſeſſili D contectum, & in tria veluti loculamenta E diviſum, ſeminibus fœta oblongis F.

Karatæ unicam vidi ſpeciem.
Karatas foliis altiſſimis, anguſtiſſimis & aculeatis.
Karatas eſt nomen Americanum apud Inſulas Vulgare.

ARAPABACA.

Tab. 31. ARapabaca eſt plantæ genus flore A infundibuli formi, multi-fido; ex cujus calyce B ſurgit piſtillum C, infimæ floris parti, ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum D bicapſularem E, ſeminibuſque F fœtum ut plurimum minutiſſimis,

Arapabacæ unicam vidi ſpeciem.

Arapabaca quadrifolia, fructu teſticulato.

Arapabaca nomen eſt Americanum. Marcg. lib. 1. 34.

ROIOC.

ROioc eſt plantæ genus flore A monopetalo, infundibuliformi & multi-fido, teneris embryonibus D in capitulum quoddam congeſtis innaſcente. Cujuſlibet autem embryonis umbilicus C infimæ floris parti B, ad inſtar clavi infigitur; ipſeque embryo abit deinde in fructum F mollem, anguloſum, ſemine G fœtum duro, etiam anguloſo; e fructibus autem corpus quoddam componitur glomeratum E. *Tab. 26.*

Roioc unicam vidi ſpeciem.

Roioc humi fuſum, fructu cupreſſino.

Roioc eſt nomen Americanum, ſeu Hiſpanicum, Hiſpanorum ſcilicet Americam inhabitantium, quod ex ejus radice telas ruffo colore inficiant, aut luteo.

VALDIA.

VAldia eſt plantæ genus flore A monopetalo, infundibuliformi, plerumque trifido, qui gemino calyce donatur, altero ſcilicet B, à quo involvi, altero vero C, cui inſidere ſolet. Is autem abit deinde in fructum D globoſum, mollem, & duobus ut plurimum ſeminibus fœtum oblongis F. *Tab. 24.*

Valdiæ unicam ſpeciem agnovi.

Valdia cardui folio, fructu ſubcæruleo.

Gonſales Ferdinandus d'Oviedo, alias de valde Hiſpanus Mattritenſis, incola & Rector Sanctæ Mariæ in Darien Continentis Americani, & Aurifodinarum Præfectus, Hiſtoriam naturalem & generalem Indiarum Occidentalium conſcripſit, regnante Ferdinando V. Hiſpaniarum Rege. In qua Hiſtoriam peculiarem multarum plantarum in America naſcentium complexus eſt omni fide dignam; quam videre eſt in tertio Volumine itinerationum & navigationum: Venetiis ex officina Giunctorum anno 1556. in fol.

RUELLIA.

Tab. 2. RUellia est plantæ genus flore A monopetalo, infundibuliformi & multi-fido; ex cujus calyce C surgit pistillum infimæ floris parti B, ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum D conicum, membranaceum, ab apice multifariam dehiscentem E, & seminibus fœtum plerumque exiguis & rotundis G.

Ruelliæ unicam speciem adinveni.

Ruellia humilis, flore cæruleo, Asphodeli radice.

a Fuch. Epist. nunc. b Paulus Jovius in elog.

a *Joannes Ruellius Gallus, Patria Suessionensis D. M. supra Linguarum peritiam non vulgari rerum cognitione præditus.* b *Abdicata medendi arte Sacerdotium in Templo Deiparæ Virginis Lutetiæ Parisiorum Poncherii Antistitis liberalitate promeruit, totumque id otium optimis Litteris, ut fortunis auctum decebat, impendit. Latini Sermonis puritatem ejus præclare indicat Dioscorides in Latinum e Græco emendate traductus. Obiit Canonicus Parisiensis, an.* 1537.

BRUNSFELSIA.

Tab. 12. BRunsfelsia est plantæ genus flore A monopetalo, infundibuli-formi, tubulato & multi-fido; ex cujus calyce C surgit pistillum infimæ floris parti B, ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum D globosum, mollem, carnosum, seminibusque fœtum subrotundis F, inter corticem & carnem positis E.

Brunsfelsiæ unicam agnovi speciem.

Brunsfelsia flore albo, fructu croceo, molli.

Otho Brunsfelsius Moguntinus Medicus. Cujus pater doliarius, sed gravis & probus. Bernæ Helvetiorum Medicinam exercuit fœlici cum successu, ibidemque satis concessit, die 23. *Novem.* 1534. *Primus in Germania herbariam medicinam propemodum extinctam, e crassissimis eruere tenebris tentavit. Herbarium conscripsit Tomis tribus comprehensum. Extat Argentorati apud Joan. Schottum, an.* 1537. *Fol.*

INGA.

INga est plantæ genus flore A monopetalo, infundibuli-formi, qui tubum quemdam B excipit fimbriatum; e calyce autem surgit pistillum E posticæ floris parti D, ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum, seu siliquam F mollem, carnosam, seminibusque fœtam anomalis H I. *Tab.* 13.

Ingæ unicam vidi speciem.

Inga flore albo, fimbriato, fructu dulci.

Inga est nomen Americanum apud G. Marcg. Hist. plant. lib. 3. *cap.* 10.

MANGLES.

MAngles est plantæ genus flore A monopetalo, infundibuli-formi, multifariam dissecto; e cujus calyce C etiam multi-fido surgit pistillum D, infimæ floris parti B ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum turbinatum F, carnosum, semen emittentem fusi-forme G; cujus caput in ipso fructu reconditum, pileolo contegitur carnoso H. *Tab.* 15.

Mangles unicam vidi speciem.

Mangles aquatica, foliis subrotundis & punctatis.

Mangles est nomen Americanum, Authore G. Pisone, lib. 4. *cap.* 86. *pag.* 113.

CORDIA.

COrdia est plantæ genus flore A monopetalo, infundibuli-formi, multi-fido, oris plerumque repandis. Ex cujus calyce I surgit pistillum C, infimæ floris parti B, ad instar Clavi infixum, quod deinde abit in fructum D turbinatum, carnosum, osficulo F fœtum in duo loculamenta G divisa, in quibus nucleus comprehenditur oblongus H. *Tab.* 14.

Cordiæ unicam adinveni speciem.

Cordia nucis juglandis folio, flore purpureo.

Valerius Cordus Simesusii in Hassia natus ex patre Euricio Cordo Medico & Poeta Clarissimo an. 1515. 18. *Febr. Illustrator sum-*

mus Dioscoridis & fœlicissimus indagator plantarum non antea cognitarum fuit. Ad quod pater exemplo inflammavit, qui eum ab innacunabulis inter ipsas herbas & flores voluit educari. Romæ moritur 1544. ætat. 19. Edidit Historiæ stirpium Lib. 4. Extant Argentinæ 1561. Fol.

TRAGIA.

Tab. 12. TRagia est plantæ genus flore A monopetalo, infundibuli-formi, plerumque trifariam diviso, sed sterili. Embryones enim C a floribus sejunguntur in eadem planta & abeunt deinde in fructum D tricoccum, ex tribus scilicet capsulis E compositum, semine fœtis sphærico F.

Tragiæ species sunt.

Tragia scandens longo Betonicæ folio.

Tragia alia scandens urticæ folio.

Melchior Adam. *Hieronimus Tragus alias Hieronimus Bokius vernacule Bock de Heidespach, natus enim est Heidespachii sub an. 1498. Biponti vixit per aliquot annos ubi hortum Ducis Ludovici Palatini Rheni varii generis plantis instruxit. Inde Hornbatum, postea Sarepontum se conferens Historiam herbarum condidit, in qua in tres Libros divisa de stirpium differentiis & facultatibus fuse disserit. Mortuus est autem an. 1554. 21 Febr. ætat. 56. extat opus Argentorati 1552. in quart.*

FUCHSIA.

Tab. 14. FUchsia est plantæ genus flore A monopetalo, infundibuliformi & multi-fido; cujus calyx B abit deinde in fructum C subrotundum, mollem, carnosum, in quatuor loculamenta divisum D, seminibusque fœtum subrotundis E.

Fuchsiæ unicam speciem agnovi.

Fuchsia triphylla, flore coccineo.

Leonartus Fuchsius Vembdingæ, Rhætiæ Oppido in ditione Ducum Bavariæ natus 1501. Medicinæ Doctor renunciatus Monachum adiit, deinde Tubingum, ubi 35. annis præclare docuit. Vir fuit assidui laboris, plantarum Germaniæ diligens explorator. Magno herbariorum commodo harum icones 510. amplioris for-

mæ exhibuit. Tubingæ mortuus est anno 1566. 10. Maji, ætatis 65. Scripsit de Historia stirpium Commentarios insignes: Basileæ 1542. in folio. *Melchior Adam.*

RONDELETIA.

ROndeletia est plantæ genus flore A monopetalo, hypocrateri-formi, tubulato & calyci C insidente. Is autem calyx abit deinde in fructum D subrotundum, coronatum, bicapsularem E, & seminibus fætum exiguis F. *Tab.* 12.

Rondeletiæ unicam speciem novi.

Rondeletia arboreſcens, tini facie.

Guillelmus Rondeletius Monspessuli natus, anno 1507. die 27. Sept. Medicinæ arte præcellens, de piscibus & de piscium natura præclarum Opus condidit, sed etiam simplicibus medicamentis dignoscendis & inveniendis summam operam collocavit, atque in eo multum excelluit, Dioscoridem primus Monspelii enarrans. Plura in Dioscoridem scripsisse apparet, ex Epistolis Gesneri ad I. Bauhinum, à C. Bauhino editis. Cancellarius Scholæ Monspelienſis mortuus est anno 1566. *Turnef. inst. r. herb. 31.*

TURNERA.

TUrnera est plantæ genus flore A monopetalo, infundibuli-formi & multi-fido; ex cujus calyce C bicorni surgit pistillum infimæ floris parti B, ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum D fere globosum aut turbinatum, trifariam dehiscentem E, seminibusque fœtum F subrotundis, tenuibus capillamentis, ceu placentæ affixis. *Tab.* 12.

Turneræ unicam vidi speciem.

Turnera fruteſcens, ulmi-folia.

Guillelmus Turnerus Anglus, Medicinæ Doctor, vir solidæ eruditionis & judicii, emisit plantarum Historiam Angliæ, anno 1551. in qua Figuras Fuchsii plerumque adhibuit, nomina expressit latine, græce, anglice, germanice, gallice, ordinem alphabeticum secutus. *Raius Hist. plant.*

MATTHIOLA.

Tab. 6. MAtthiola eſt plantæ genus flore A monopetalo, infundibuli-formi, & veluti tubi-formi; cujus calyx C abit deinde in fructum mollem, ſubrotundum, oſſiculo F fœtum rotundo, in quo nucleus ejuſdem formæ G continetur.

Matthiolæ unicam agnovi ſpeciem.

Matthiola folio aſpero, ſubrotundo, fructu nigricante.

Petrus Andræas Matthiolus Senenſis, Franciſco Matthiolo, & Lucretia Bonninſegnia natus, anno 1500. *magni nominis fuit Medicus, & imprimis famoſo illo Botanico Opere toties recuſo clarus. Archiater Cæſareus, in Antiquorum lectione apprime verſatus, medicamenta quam plurima non contemnenda docuit. Non defuerunt tamen ejus Operum cenſores & critici. Quid mirum, ſi cum ipſe alios atro petebat dente, inulti non flebant ut pueri, ſed tollebant aſperrimi in mordentem parata cornua. Tridenti ubi ſedem fixerat obiit anno* 1577. *ætat.* 77.

MARANTA.

Tab. 36. MAranta eſt plantæ genus flore monopetalo, veluti infundibuli-formi, & in partes ſex ampliato, quarum tres cæteris alternatim ampliores ſunt; calycis autem inferior pars abit in fructum ovatum, unicapſularem, ſemine fœtum duro & rugoſo.

Marantæ unicam agnovi ſpeciem.

Maranta arundinacea, Cannacori folio.

Bartholomæus Maranta Venuſinus Medicus, condidit methodi cognoſcendorum ſimplicium medicamentorum Libros tres eleganter profecto & erudite, atque ad Dioſcoridis innumera loca recte intelligenda ſumme utiles. Subtili acrique ingenio fuit, & in ſtirpium obſervatione, iiſque in examinandis diligentia profecto admirabilis. Obiit anno 1554.

Geſn. de rei herb. ſcript. ad Cordum.

LONICERA.

LOnicera est plantæ genus flore A monopetalo in plures partes secto, quasi campani-formi & tubulato. Ex calyce autem C surgit pistillum posticæ floris parti B, ad instar clavi infixum. Calyx autem abit deinde in fructum D, seu baccam turbinatam glutinis plenam, & semine aut seminibus fœtam, compressis F. *Tab.* 33.

Loniceræ unicam animadverti speciem.

Lonicera flore coccineo, baccis nigris.

Adamus Lonicerus Hessus, natus Malpurgi, anno 1528. die 10. Octob. ex patre Joanne Lonicero, viro virtute propria & eruditione præclara insigni. Quid in re herbaria præstiterit, testantur tum Botanicon, tum Historia plantarum diversimode ab ipso latine scripta, typisque Egenolphianis edita. Testatur & Herbarium vernacula Lingua sub ejus nomine publicatum. Franco-furti ad Mœnum vivere desiit, an. 1588. ætat. 58. *Boissard. icon. tom. 3.*

DALECHAMPIA.

DAlechampia est plantæ genus flore A monopetalo, infundibuli-formi, calyci B insidente tricocco, qui abit deinde in fructum C ejusdem formæ, in tres capsulas C fissilem, semine fœtas rotundo D. His addidi tres plerumque flores e sinu duorum foliolorum E F, quæ trifariam secantur, prodire. *Tab.* 34.

Dalechampiæ unicam speciem vidi.

Dalechampia scandens, Lupuli foliis, fructu hispido tricocco.

Inter eos qui plantarum cognitioni magis dediti fuerunt, emicuit Jacobus Dalechampius Cadomensis, qui maximam vitæ partem egit Lugduni inter medendum, tum civium, tum doctorum virorum magna æstimatione. Ex recentioribus, primus ille conscribendam Historiam universalem stirpium suscepit; sed oneri impar, pluribus nempe occupatus negotiis, hoc Opus Historiam vulgo Lugdunensem absolvere non potuit, morte correptus Lugduni, an. 1597. aut 98. *Turnef. inst. r. herb. 34.*

TABERNÆMONTANA.

Tab. 30. TAbernæmontana eſt plantæ genus flore A monopetalo, tubulato, hypocrateri-formi & multi-fido; ex cujus calyce C ſurgit piſtillum D, infimæ floris parti B, ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum E utriculatum, plerumque geminum, per longitudinem dehiſcentem E, ſeminibuſque fœtum oblongis G, & carne tenerrima obtectis F.

Tabernæmontanæ unicam ſpeciem novi.

Tabernæmontana lacteſcens, Citrii foliis undulatis.

Tournef. inſt. rei herb. 35. *Jacobus Theodorus, à Patria Tabernæmontanus dictus. Quippe Tabernis Montanis (Berg Zabern) Oppido in ditione Principum Bipontinorum natus eſt. Vir diligens fuit, & rei herbariæ maxime ſtudioſus: In eo præcipue laudandus, quod præter multarum plantarum ſibi propriarum notitiam, de viribus etiam vulgatiorum optime ſcripſerit. E vivis exceſſit Haidelbergæ, an.* 1590.

CAMERARIA.

Tab. 29. CAmeraria eſt plantæ genus flore A monopetalo, tubulato, hypocrateri-formi & multi-fido; ex cujus calyce G ſurgit piſtillum C, infimæ floris parti B, ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum D plerumque geminum, ſiliquoſum, auritum, per longitudinem dehiſcentem E, ſeminibuſque fœtum oblongis F, foliatis, & ſquamatim poſitis.

Camerariæ ſpecies ſunt.

Cameraria lato myrti folio.

Cameraria anguſto linariæ folio.

Melchior Adam. *Joachimus Camerarius Norimbergenſis Medicus, Norimbergæ natus, die 6. Nov.* 1534. *ididemque mortuus* 1598. *die* 11. *Oct. anno ætatis* 64. *Puer Vittembergæ & Lipſiæ Medicinæ ſtuduit. Romæ Medicinæ eſt renunciatus Doctor anno* 1552. *Medicinæ, & rei herbariæ ſemper ſtudioſiſſimus fuit. Petri Andreæ Matthioli Herbarium latine & germanice, novis figuris & obſervationibus à ſe illuſtratum & auctius redditum edidit; ſcilicet de plantis Epitomem utiliſſimam Petri Andreæ Matthioli Senenſis: Franco-furti ad Mænum* 1588. *in quarto. Rerum etiam na-*

turalium, fossilium, lapidum, metallorum, & id genus aliorum diligentissimus fuit indagator.

RAUVOLFIA.

RAuvolfia est plantæ genus flore A monopetalo, tubulato, hypocrateri-formi & multi-fido; ex cujus calyce surgit pistillum B, infimæ floris parti, ad instar clavi infixum C, quod deinde abit in fructum D fere globosum, mollem, lactis plenum, & uno, aut duobus seminibus fœtum E F duris G. *Tab.* 40.

Rauvolfiæ species sunt.

Rauvolfia tetraphylla, angusti-folia.

Rauvolfia tetraphylla, lati-folia.

Leonardus Rauvolfius floruit circa annum 1583. *Patriam habuit Augustam Drusi. In Orientales Regiones navigare in animum suum induxit, & anno* 1573 *Massiliæ navim ingressus, in Orientem venit, ubi sæpe cum præsentaneo vitæ discrimine peragravit. Scripsit itinerarium in Syriam, quod in sex partes distinxit, in quibus plurima rara de omni medica materia observata tradit, additis variis plantarum, animalium, aliarumque rerum iconibus. Laugingæ, an.* 1583. *in quarto.* *Melchior Adam.*

BELLONIA.

BEllonia est plantæ genus flore A monopetalo, rotato & multi-fido; ex cujus calyce D surgit pistillum E, mediæ floris parti B, ad instar clavi infixum. Calyx autem abit deinde in fructum E durum, ovato-acuminatum, seminibusque fœtum exiguis F G. *Tab.* 31.

Belloniæ unicam observavi speciem.

Bellonia fruteſcens, folio melissæ aspero.

Petrus Bellonius Cenomanus, Medicus fuit, vir indefessi laboris & studii, quemadmodum ex ejus lucubrationibus, quas partim latino, partim gallico sermone evulgavit, percipere licet. Nam extant Libri de coniferis arboribus, &c. ab ipso latine conscripti. Gallice vero de avibus, piscibus, &c. tum Commentaria in Dioscoridem, & de Agricultura Liber. Alia quædam præterea meditabatur, sed laudabiles ipsius conatus, non sine magno *Clu. in Epist. ded.*

litterariæ Reipublicæ dispendio, inopina mors nefarii latronis manu illata, interrupit. Claruit circa an. 1564.

NHANDIROBA.

Tab. 27. NHandiroba est plantæ genus floribus A B monopetalis, rotatis, & multi-fidis, quorum alii steriles sunt, alii vero fœcundi C, insidentes scilicet embryoni, qui deinde abit in fructum D pyxidatum, carnosum, cortice duro præditum, in quo veluti nidulantur semina E, compressa & orbicularia F.

NHandirobæ unicam speciem vidi.

NHandiroba scandens, foliis hederaceis, angulosis.

Nhandiroba est nomen Americanum. Marcg. lib. 1. *cap.* 22.

DODONÆA.

Tab. 11. DOdonæa est plantæ genus flore A monopetalo, hypocrateri-formi, trifariam diviso; e cujus calyce surgit pistillum B, quod deinde abit in fructum C mollem, seu baccam oblongam, & semine D fœtam ejusdem formæ.

Dodonææ species sunt.

Dodonæa aqui-folii, folio tricuspidato.

Dodonæa aqui-folii, folio anguloso & aculeato.

Dodonæa aqui-folii, folio anguloso, non aculeato.

Melchior Adam. *Rembertus Dodonæus Archiater, & Medicus Cæsareus, natus est Mechliniæ anno* 1517. *Fortunis & musis propitiis, ad summum eruditionis culmen in omni artium genere ascendit, præsertim Medicinæ, quam lectionibus, scriptisque doctissimis Botanicis mirum in modum exornavit. Obiit Lugduni-Batavorum anno* 1585. *ætat.* 68. *Extant de eo stirpium Historiæ pemptades sex, sive Libri* 30. *Antverpiæ* 1616. *in folio.*

CLUSIA.

Tab. 10. CLusia est plantæ genus flore A monopetalo, hypocrateriformi ut plurimum, & multi-fido, interdum veluti e plurimis petalis constante, in orbem positis; ex calyce autem surgit pistillum D, globulo C perforato præcinctum, quod deinde

abit in fructum F ovatum, in plures partes à ſummo ad imum dehiſcentem I, ſeminibuſque fœtum oblongis N, pulpa tenerrima M obtectis, & placentæ conicæ, & ſulcatæ affixis.

Cluſiæ ſpecies ſunt.

Cluſia flore albo, fructu coccineo.

Cluſia flore roſeo, major, fructu ſubviridi.

Cluſia flore roſeo, minor, fructu flaveſcente.

Cluſia alia minor, flore albo, fructu vireſcente.

Carolus Cluſius Atrebatenſis, natus eſt anno 1526. *In inquirendis plantis diligentiſſimus, quarum ſicut & rerum aliarum naturalium ſtudio flagravit, ut Hiſpania, Luſitania, Gallia, Germania, Pannonia, Anglia, Belgioque peragratis, nondum ſatis ipſe ſibi fecerit, ac longiora & moleſtiora itinera ſuſcepiſſet, ſi votis valetudo reſpondiſſet. Scripta ſua omnia ad incudem revocavit, extremamque manum addidit, & in duos Tomos digeſſit.* Tournef. inſt. r. herb. 41. *Lugduni-Batavorum obiit Cœlebs, an.* 1609. *die* 6. *Aprilis, atat.* 84. *omnibus deſiderium ſui relinquens triſtiſſimum, ſimulque memoriam nominis numquam interituram. Scripſit de plantis exoticis, ſeu exoticorum Libros* 10. *Antverpiæ* 1605. *in folio, rariorum aliquot plantarum per Hiſpaniam obſervatarum, Hiſtoriam, Antverp.* 1576. *in octavo. Rariorum aliquot ſtirpium per Pannoniam, Auſtriam, &c. obſervatarum, Hiſtoriam, Antverp.* 1583. *Rariorum plantarum Hiſtoriam, Antverp. in fol.* 1601.

LOBELIA.

LObelia eſt plantæ genus flore A monopetalo, anomalo, tubulato, in plurimas partes veluti lingui-formes, digitatim diviſo, & calyci B inſidente. Is autem calyx abit deinde in fructum C mollem, ovatum, ſucci plenum, & oſſiculo D fœtum oblongo E, in quo nucleus continetur ejuſdem formæ F. Tab. 31.

Lobeliæ unicam ſpeciem vidi.

Lobelia fruteſcens, portulacæ folio.

Matthias de Lobel natus eſt Inſulæ Fland. an. 1538. *patre Joanne de Lobel, Jur. Conſ. Fuit Antverpiæ, & Delphis-Bat. aliquando Guillelmi Auriaci Principis, poſtea Ordinum Hollandiæ; & poſtremo Jacobi I. Regis Magnæ Britanniæ Medicus & Botanographus. Plantarum ſeu ſtirpium Hiſtoriam conſcripſit,*

cui annexum Adversariorum Volumen, Antverp. 1581. *Multa alia Opera edidit, partim medica, partim pharmacopæa, partim tandem botanica. Obiit Londini, an.* 1616. *æt.* 78.

PENÆA.

Tab. 25. PEnæa est plantæ genus flore A monopetalo, anomalo, cujus petala duo B D, superius scilicet & inferius cochlearis instar, concava sunt; cætera vero cordi-formia C. Ex calyce autem E surgit pistillum, quod deinde abit in fructum F subrotundum, compressum, in duo loculamenta divisum H, semine fœta lenti-formi I.

Penææ unicam vidi speciem.

Penæa arboreſcens, Buxi folio aspero.

Lind. renov. 903. *Petrus Pena Gallo-Provincialis, in loco vulgo* Iouques, *Aquensis Diœcesis natus. Vir doctissimus, cujus auxilio fretus Lobelius, rariores plantas in Gallia Narbonensi nascentes divulgavit. Opera ejus extant Londini apud Thomam Purfootium* 1571. *fol. & Antverpiæ apud Christ. Plantinum* 1570. *&* 1576. *folio. Nempe nova stirpium Adversaria, perfacilis investigatio, luculentaque accessio ad priscorum præsertim Dioscoridis, & recentiorum materiam medicam, additis Guillelmi Rondeletii aliquot remediorum formulis.*

TAPIA.

Tab. 21. TApia est plantæ genus flore A polypetalo, anomalo, ex quatuor scilicet petalis sursum erectis constante. Pistillum autem C surgit e medio calycis, longo pediculo affixum, abitque deinde in fructum D globosum, carnosum, in quo nidulantur E semina plurima, fere reni-formia F.

Tapiæ unicam vidi speciem.

Tapia arborea, triphylla.

Tapia est nomen Americanum. G. Piso. lib. 4. *cap.* 17.

CUIETE.

CUiete est plantæ genus flore A monopetalo, anomalo, utriculato & multi-fido; ex cujus calyce C surgit pistillum posticæ floris parti B, ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum D carnosum, cortice duro, in quo nidulantur E semina plurima cordi-formia F H. *Tab. 16.*

Cuiete species sunt.

Cuiete foliis oblongis & angustis, magno fructu ovato.
Cuiete lati-folia, fructu putamine fragili.
Cuiete minima, fructu duro.
Cuiete angusti-folia, fructu minori, globoso.
Cuiete angusti-folia, fructu minori, ovato.

Cuiete est nomen Americanum. G. Marcg. lib. 3. cap. 14.

BAUHINIA.

BAuhinia est plantæ genus flore A polypetalo, anomalo, ex quinis ut plurimum petalis constante, uno versu dispositis. Ex cujus calyce C surgit pistillum D incurvum, staminibus ejusdem formæ stipatum, quod deinde abit in siliquam E, seminibus fætam reni-formibus G. *Tab. 15.*

Bauhiniæ species sunt.

Bauhinia aculeata, folio rotundo, emarginato.
Bauhinia non aculeata, folio ampliori & bicorni.

Joannes & Caspar Bauhinus, nobile par fratrum, ex patre Gallo Ambiano Basilææ nati sunt. Quos sæva, sed fœlix paupertas tam utiles Medicinæ & Botanicæ tulit. Tantam inter Herbarios famam adepti sunt, vix ut minima planta seu herbula appelletur sine utriusque commemoratione. Opera eorum medica, botanica & anatomica ab omnibus Medicis, botanicis & anatomicis vel minimis cognita, quam eruditi, quam laborioſi; quam tandem utiles fuerint maximo sunt argumento. Joannes obiit Mont-belgardi, an. 1613. Casparus vero Basilææ, an. 1624. ætat. 64. *Tournef. inst. 42.*

ISORA.

Tab. 37. Isora est plantæ genus flore, aut monopetalo A, aut polypetalo B, sed anomalo patente, quasi bilabiato, & multi-fido. E fundo autem floris surgit pistillum H, cujus apex D abit deinde in fructum E turbinatum, ex plurimis vaginis F constantem, in cochleam intortis, & seminibus fœtis fere reni-formibus G.

Isoræ species sunt.

Isora Althææ foliis, fructu breviori & crassiori.

Isora Althææ foliis, fructu longiori & angustiori. in H. Mal. 55. Tab. 30. Tom. 6.

Isora est nomen Indicum. H. Mal. ibidem.

MUSA

Tab. 34. Musa est plantæ genus flore polypetalo A, anomalo. Floris petalum superius B, scaphulæ instar excavatum, neſt, & in summitate trifidum; anterius vero D concavum, interius tandem peltatum C, folioliſque duobus E angustis & acuminatis stipatum. Calyx autem F abit in fructum G cucumeri-formem, mollem, carnosum, cute obtectum, in tria veluti loculamenta H divisum, in quibus apparent seminum quædam veluti rudimenta I.

Musæ species sunt.

Musa fructu cucumerino, longiori.

Musa fructu cucumerino, breviori.

Musa est nomen apud quosdam Orientales usitatum.

BONDUC.

Tab. 39. Bonduc est plantæ genus flore A, aut polypetalo, aut monopetalo, profundius in plures partes secto, sed fere anomalo; ex cujus calyce B surgit pistillum C, quod deinde abit in fructum E siliquosum, rostratum, ut plurimum echinatum, unoque, aut duobus seminibus fœtum E rotundis, duris & politis.

Bonduc

Bonduc ſpecies ſunt.
Bonduc vulgare, majus, polyphyllum.
Bonduc vulgare, minus, polyphyllum.
Bonduc aliud polyphyllum, foliis tricuſpidatis.
Bonduc eſt nomen Indicum. Jacob. Zanoni Hiſt. Botan. 44. fig. 17.

VANILLA.

VAnilla eſt plantæ genus flore A polypetalo, anomalo, ſex petalis ſcilicet conſtante, quorum quinque ſimilia, & in orbem fere poſita, ſextum autem meditullium occupat, aqualiſque in modum convolvitur. Calyx autem E abit deinde in fructum, ſeu corniculam F mollem, carnoſam, ſeminibuſque fœtam minutiſſimis H. *Tab. 281*

Vanillæ ſpecies ſunt.
Vanilla flore viridi & albo, fructu nigreſcente.
Vanilla flore violaceo, fructu breviori, rubro.
Vanilla flore albo, fructu breviori, corallino.
Vanilla eſt nomen Hiſpanicum, ſeu apud Hiſpanos Americam incolentes vulgare.

PARKINSONIA.

PArkinſonia eſt plantæ genus flore A polypetalo, anomalo; ex quinque ſcilicet petalis B C diſſimilibus, conſtante. Ex calyce autem D ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam E toroſam, nodoſam, & ad ſingulos nodos ſemine fœtam F ſubrotundo G. *Tab. 30*

Parkinſoniæ unicam vidi ſpeciem.
Parkinſonia aculeata, foliis minutis, uni coſtæ adnexis.
Joannes Parkinſonius Londinenſis, Pharmacopœus Regius, Hiſtoriam univerſalem plantarum anglice tradere conatus eſt. In Paradiſo enim terreſtri, opere ſic nuncupato, florum Hiſtoriam late perſequitur. In Theatro vero Botanico plures plantarum ſpecies, quam quævis alia quæ hactenus extet Hiſtoria. *Tournef. inſt. 43.*

CORTUSA.

Tab. 8. COrtusa est plantæ genus flore A polypetalo, anomalo, ex quinque scilicet petalis inæqualibus & dissimilibus constante. Ex cujus calyce D E surgit pistillum F, quod deinde abit in fructum G ovatum, carnosum, osficulo fœtum H I, in duo loculamenta diviso K, semine fœta tenui & oblongo L.

Cortusæ unicam agnovi speciem.

Cortusa arundinacea, amplis cannacori foliis.

Riccob. de Gymn. Patav. & Thuanus in Gymn. Patav. *Jacobus Antonius Cortusus, præter generis nobilitatem, sibi decus & ornamentum suis ipsius studiis ac virtutibus comparavit. Semper enim fuit studiosus quam qui maxime; ac tametsi Medicinam numquam professus est, tantopere tamen simplicium medicamentorum cognitione est delectatus, & herbarum omnium, fruticum, arborum vires tam exacte cognovit, ut qui hujus rei peritior suis temporibus fuerit nominari posse nemo videatur. Obiit anno 1593. nullo Opere edito, nisi Catalogo plantarum Horti Patavini, italice Venetiis excuso.*

ALPINA.

Tab. 11. ALpina est plantæ genus flore A monopetalo, anomalo, tubulato, personato, tri-fido, petalum intus continente, cujus pars anterior A A excavata & alata, posterior vero in annulum desinit pistillo C floris trajectum. Calyx autem D abit in fructum E ovatum, carnosum, trifariam ab apice ad basim dehiscentem F, seminibusque fœtum H, tenuibus capillamentis placentæ affixis G.

Alpinæ unicam speciem agnovi. Plurimæ tamen insunt plantæ apud Americanas Insulas nascentes, floribus & fructibus ei affines.

Alpina racemosa alba, cannacori foliis.

Linden. renov. 925. *Prosper Alpinus natus est Marosticæ, Oppido ad montium vicentinorum radices amœno, an. 1553. patre Francisco Alpino, Medico sui temporis insigni. Nactis Patavii an. 1578. Medicinæ Doctoris insignibus, biennio post, simplicium exoticorum indagandorum gratia 1580. Venetiis solvens, in Ægiptum trajecit,*

ibique per triennium commoratus, Venetias rediit, & paulopost Genuæ, ab ejus Reipublicæ Principe, Joanne Andræa Auria, ad propriæ valetudinis custodiam accersitus, medicam artem fœliciter exercuit. Plantas rariores, quas aut in Ægipto ipse observaverat, aut ex Creta, & aliunde ab Hieronimo Capello, & Nicolao Centareno, Senatoribus amplissimis, acceperat, descripsit ac depingi curavit. Multos Tractatus, tum Medicinæ, tum Botanices, ipse, aut filius ejus Alpinus Alpinius post eum, in lucem edidit. Vivere desiit an. 1616. ætat. 63.

GESNERA.

GEsnera est plantæ genus flore A monopetalo, personato, anomalo; ex calyce autem C surgit pistillum posticæ floris parti ad instar clavi infixum. Calyx autem abit deinde in fructum D membranaceum, coronatum, in duo loculamenta divisum E, & seminibus fœtum exiguis F. *Tab. 91*

Gesneræ species sunt.

Gesnera humilis, flore flavescente.

Gesnera arborescens, amplo flore fimbriato & maculoso.

Gesnera amplo digitalis folio tomentoso.

Conradus Gesnerus Tiguri Helvet. an. 1516. natus, vir publicum bonum juvandi adeo studiosus, totius Historiæ naturalis parens, ac veluti promptuarium, primus omnium veram aperuit viam ad plantarum cognitionem assequendam, Generum adjumento. In nulla naturæ rerum parte diligentius est versatus, nulli plus temporis & operæ impendit, quam plantarum cognitioni; etenim adolescens, aut potius puer ab Avunculo Joanne Friccio, rei herbariæ perito, ad hoc studium assuefactus est, quod deinde semper amavit. Quantis laboribus sudaverit, declarant immensa ejus Opera, quorum tamen, proh dolor! perierunt multa. Mortuus est in Musæo suo, quo paulo ante quam expiraret, reduci voluit, lue pestifera quæ Tiguri grassabatur, correptus, an. 1565. ætatis 49. *Melchior Adam.*

COLUMNEA.

Tab. 33. COlumnea eſt plantæ genus flore A monopetalo, perſonato, cujus labium ſuperius non nihil fornicatum & excavatum, inferius vero tripartitum. Ex calyce autem B ſurgit piſtillum C, poſticæ floris parti D, ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum E globoſum, mollem, ſeminibuſque plenum F exiguis, & oblongis G.

Columneæ ſpecies ſunt.

Columnea ſcandens, phæniceo flore, fructu albo.

Columnea ſcandens, flore luteſcente, fructu albo.

Tournef. inſt. 83. *Fabius Columna, Nobilis Romanus, ex antiqua illa, & perilluſtri Columnarum gente oriundus, quæ inter nobiliores Italiæ familias primas partes occupat, præ aliis commendandus, & ob exquiſitam Hiſtoriæ naturalis cognitionem. Nihil profecto adeo abſolutum, nihil in hoc genere cum tanti viri Operibus comparandum eſt, ſive icones Auctoris manu exaratas, ſive deſcriptiones & diſſertationes criticas ſpectes. An.* 1592. *Opus omnino eruditum,* Φυτοβασανον *nomine, cum iconibus* 35. *in lucem emiſit. Deinde* ἐκφρασεις *plantarum iconibus* 156. *ornatam, juris publici fecit, an.* 1606. *ejuſque partem alteram* 1616. *cum iconibus* 43.

CÆSALPINA.

Tab. 9. CÆſalpina eſt plantæ genus flore A monopetalo, perſonato, anomalo, in quatuor partes diſſecto inæquales, quarum ſuperior major, & cochlearis inſtar excavata; e fundo autem floris ſurgit piſtillum B, ſtaminibus incurvis ſtipatum, quod deinde abit in ſiliquam C, ſeminibus fætam D oblongis E.

Cæſalpinæ unicam vidi ſpeciem.

Cæſalpina polyphylla, aculeis horrida.

Tournef. inſt. 66. *Andræas Cæſalpinus Aretinus, præſtantiſſimus peripateticus, Clementis VIII. Archiatros, Romæ ſcriptis famam nominis propagavit, & rationem plantarum per claſſes diſponendarum ſolus inter Herbarios Philoſopho dignam reliquit, petitam ſcilicet ex ſeminum forma. Ejus Hiſtoriæ plantarum nihil deeſt præter ico-*

nes. Romæ deceſſit initio anni 1602. 7. Cal. Mart. Extat ejus Opus de plantis lib. 16. Florentiæ apud Georgium Mareſcottum 1583. in quarto.

BESLERIA.

BEſleria eſt plantæ genus flore A monopetalo, anomalo, tubulato, bilabiato, aut perſonato. Ex cujus calyce D ſurgit piſtillum E poſticæ floris parti B, ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum H mollem, carnoſum, ovatum, ſeminibuſque fœtum exiguis F. *Tab. 5.*

Beſleriæ ſpecies ſunt.

Beſleria Meliſſæ, tragi facie.

Beſleria virgæ aureæ foliis, flore luteo, minor.

Beſleria virgæ aureæ foliis, flore luteo, major.

Beſleria ſcandens, criſtata, fructu nigro.

Baſilius Beſlerus Philiater, & Pharmacopæus Norinbergenſis, vir ſane magnæ memoriæ dignus, quippe qui maximum Opus, Hortum dico Eyſtetenſem, ſeu plantas in horto illo celeberrimo Eyſtetenſi, in Franconia olim exhibitas, tot tantiſque iconibus ad vivum æri inciſis, non ſolum diligenter repræſentare, ſed & ſedulo deſcribere accuravit. Sumptus tanti Operis, largiente Reverendiſſimo, ac illuſtriſſimo Principe, Domino Joanne Conrado à Gemmingen, Eyſtetenſium Epiſcopo. Extat Opus Norimbergæ in maximo folio, an. 1613.

DORSTENIA.

DOrſtenia eſt plantæ genus flore A monopetalo, anomalo, carnoſo, pedem anſerinum referente; ipſemet autem flos fit fructus carnoſus ejuſdem formæ, intra quem pluriſima nidulantur ſemina ſubrotunda, & apice donata. *Tab. 8.*

Dorſteniæ unicam novi ſpeciem.

Dorſtenia ſphondilii folio, dentariæ radice.

Theodoricus Dorſtenius Germanus, forte Marpurgenſis, Medicus optimus, & ſimplicium explorator eruditiſſimus, Botanicum edidit, continens herbarum, aliorumque ſimplicium, quorum uſus eſt in medicinis, cum deſcriptionibus & iconibus, ex præcipuis *Linden. nov. 593.*

tam Græcis, quam Latinis Authoribus concinnatum. Franco-furti apud Christ. Egenolphum, in fol.

KODDA-PAIL.

Tab. 39. KOdda-pail est plantæ genus flore A monopetalo, personato, anomalo, cucullato. Ex floris autem fundo surgit pistillum B, apice donatum clypeato, quod deinde abit in fructum membranaceum, utriculatum, unicapsularem, seminibusque fœtum D oblongis E.

Kodda-pail unicam vidi speciem.

Kodda-pail paluſtris, folio oblongo & spongioso.

Kodda-pail nomen est Indicum. H. Mal. tom. 2. Tab. 32. pag. 63.

CASTOREA.

Tab. 17. CAstorea est plantæ genus flore A monopetalo, personato, cujus labium superius surrectum, inferius vero in tres partes divisum, media parte bifida. Calyx autem B abit in fructum C carnosum, globosum, unicapsularem, & quatuor semina recondentem D angulosa F.

Castoreæ species sunt.

Castorea repens, spinosa.

Castorea racemosa, flore cæruleo, fructu croceo.

Castor Durantes, Medicus Romanus, Herbarium novum cum figuris plantarum, quæ in tota Europa, India Orientali & Occidentali nascuntur, italice edidit, viribus latinis versibus expressis, ordinem alphabeticum observavit, & plantarum figuras 879. adposuit. Romæ 1585. in fol.

GERARDIA.

Tab. 12. GErardia est plantæ genus flore A monopetalo, personato, cujus labium superius surrectum est, subrotundum & emarginatum, inferius vero in tres partes divisum, media bifida. Ex calyce autem C surgit pistillum posticæ floris parti B, ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum D oblongum, gibbum, septo medio E, in duo loculamenta divisum, seminibusque fœtum orbicularibus F.

Gerardiæ unicam ſpeciem vidi.

Gerardia humilis, Bugulæ foliis, Aſphodeli radice.

Joannes Gerardus Anglus, (referente Johnſono in Præfat. ad Gerardum emaculatum,) natus eſt Nantvici in Comitatu Ceſtrienſi, unde Londinum venit, ubi Chirurgiæ operam dedit, in qua adeo profecit, ut magiſterium in ea Facultate adeptus ſit. Hiſtoriam edidit plantarum Anglicam, cum figuris ipſius Tabernamontani, non nullis etiam Lobelii, & inſuper 16. novis additis. Londini 1597. in fol.

BARLERIA.

BArleria eſt plantæ genus flore A monopetalo, perſonato, cujus labium ſuperius ſurrectum eſt, inferius vero tripartitum. Ex calyce autem C ſurgit piſtillum floris parti poſteriori B, ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum D membranaceum, oblongum, quadrangularem, unicapſularem, ſeminibuſque fœtum E F planis & orbiculatis G. *Tab. 31.*

Barleriæ ſpecies ſunt.

Barleria ſolani folio, flore coccineo.

Barleria aculeata, ſolani folio anguſtiore, flore cæruleo.

Reverendus Pater Jacobus Barelier Pariſinus, & Doctor Medicus Pariſienſis, ſacrum Ordinem Fratrum Prædicatorum profeſſus eſt; ubi Magiſtrorum, ſeu Generalium Ordinis Aſſiſtens fuit generalis. Magna in eo extitere omnia, ſtudium Religionis, & morum integritas, recondita litteratura, ſcriptionis venuſtas, gravitas & puritas, tum omnis Medicæ, tum vero Botanicæ rara peritia. Teſtantur Opera ejus immenſa Botanica manuſcripta, (orbis ſcilicet botanicus, quem orbi litterario parabat) in Bibliotheca Conventus Pariſienſis ad ſanctum Honoratum cuſtodita. Pariſiis vivere deſiit in eodem Conventu 17. Septembris, anno 1673. ætatis 68. in cœleſtibus Hortis in æternum victurus.

CAMARA.

CAmara eſt plantæ genus flore A monopetalo, perſonato, anomalo, cujus labium ſuperius ſurrectum, inferius vero *Tab. 2.*

tripartitum. Embryo autem, cui flos insidet, abit deinde in fructum mollem, seu baccam D osficulo fœtam E rotundo. His addendum ex multis embryonibus glomeratum quoddam corpus componi C.

Camaræ species sunt.

Camara trifolia, purpurascente flore.

Camara spinosa, flore variegato.

Camara alia flore variegato, non spinosa.

Camara arboresens, salviæ folio.

Camara est nomen Americanum. G. Marcg. lib. I. *c.* 4.

BONTIA.

Tab. 23. BOntia est plantæ genus flore A monopetalo, personato, cujus labium superius surrectum, inferius vero tripartitum. Ex calyce autem C surgit pistillum G, posticæ floris parti B, ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum D ovatum, mollem, succi plenum, & osficulo E fœtum oblongo F, in quo nucleus continetur ejusdem formæ G.

Bontiæ únicam vidi speciem.

Bontia arboresens, thimelææ facie.

Jacobus Bontius Retoredamensis D. M. & Civitatis Bataviæ novæ in Java Medicus ordinarius. Historiæ naturalis, & Medicæ Indiæ Orientalis Libros sex congessit, quorum sextus de Historia plantarum in iis locis enascentium. Extant cum Pisonis de utriusque Indiæ rebus lib. 14. *Amstelædami apud Lud. & Dan. Elzevirios* 1658. *in folio.*

CORNUTIA.

Tab. 17. COrnutia est plantæ genus flore A monopetalo, personato, cujus labium superius surrectum, inferius vero tripartitum; ex calyce autem C surgit pistillum, posticæ floris parti B, ad instar clavi infixum, quod deinde abit in fructum, sed baccam D succi plenam, sphæricam, & semine E fœtam plerumque reniformi F.

Cornutiæ unicam vidi speciem.

Cornutia flore pyramidato cæruleo, foliis incanis.

Clarissimus

Clariſſimus D. Jacobus, Cornuti D. Medicus Pariſienſis, Canadenſium plantarum, aliarumque nondum editarum Hiſtoriam conſcripſit, adjectis iconibus; cui additum eſt ad Calcem Enchiridion Botanicum Pariſienſe, continens indicem plantarum quæ in pagis, ſylvis, pratis & montoſis juxta Pariſios locis naſcuntur. Extat Opus Pariſiis apud Sim. le Moyne, via Jacobæa 1635. in quarto.

CAAPEBA.

CAapeba eſt plantæ genus flore A roſaceo, quatuor ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ſed ſterili; e cujus medio ſurgit piſtillum C planum, orbiculare & umbilicatum. Embryones autem D, in eadem planta à floribus ſeparati naſcuntur, abeuntque deinde in baccam E mollem, ſphæricam, & ſemine fœtam F rugoſo D. *Tab. 29.*

Caapebæ ſpecies ſunt.

Caapeba folio orbiculari, & umbilicato, lævi.

Caapeba folio orbiculari, umbilicato, tomentoſo.

Caapeba folio orbiculari, non umbilicato.

Caapeba eſt nomen Americanum. G. Piſo. lib. 4. cap. 54.

IAN-RAIA.

IAn-raia eſt plantæ genus flore A roſaceo, plurimis ſcilicet petalis B in orbem poſitis, conſtante. Cujus calyx C abit deinde in fructum unicapſularem D, alatum, & unico ſemine fœtum rotundo E. *Tab. 29.*

Ian-Raiæ ſpecies ſunt.

Ian-raia ſcandens, folio tamni.

Ian-raia ſcandens, folio oblongo, anguſto & auriculato.

Ian-raia ſcandens, quinque-folia.

Clariſſimus D. Joannes Raius Anglus, ſocius Regius Londinenſis, in plantis, & quibuſcumque naturalibus dignoſcendis mens ænea, & in conſcribendis, ac deſcribendis manus ferrea, qui nullam ferme Hiſtoriæ naturalis partem intactam reliquit. Non fuit ſatis quæcumque optima in ſingulis plantarum Scriptoribus occurrunt, in unum corpus coacervaſſe, digeſſiſſe & illuſtraſſe, & Tournef. inſt. 53.

quam plurima nova addidiſſe, plantas etiam huc uſque cognitas in ſua genera pulchre diſtinxit, ſingularum proprias notas recenſens.

CURURU.

Tab. 35. CUruru eſt plantæ genus flore A roſaceo, quatuor ut plurimum petalis B in orbem poſitis conſtante; e cujus calyce C polyphyllo, ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum D pyri-formem, trigonum, in tres partes à ſummo ad imum dehiſcentem E, tribuſque ſeminibus fœtum carnoſis G, calyptraque H tenerrima contectis.

Cururu ſpecies ſunt.

Cururu ſcandens, enneaphylla, fructu racemoſo, rubro.
Cururu ſcandens, pentaphylla.
Cururu ſcandens, triphylla.

Cururu eſt nomen Americanum. G. Piſo, lib. 4. cap. 88.

SERJANIA.

Tab. 35. SErjania eſt plantæ genus flore A roſaceo, quatuor ut plurimum petalis B in orbem poſitis, conſtante. E cujus calyce C ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum D tricapſularem, ſeu tricipitem & trialatum, quolibet capite E, ſemen continente F rotundum G.

Serjaniæ ſpecies ſunt.

Serjania ſcandens, polyphylla & racemoſa.
Serjania ſcandens, enneaphylla & racemoſa.
Serjania ſcandens, triphylla & racemoſa.

Reverendus Pater Philippus Sergeant Caletanus, Ordinis Minimorum Provinciæ Franciæ, Botanices peritus, Medicinæ peritior, quam viginti quinque annorum decurſu Romæ tam fœliciter exercuit, ut parvis æque ac magnis ob charitatem ſemper extiterit gratiſſimus. Tota lugens amiſit Roma, tota exultans ſuſcepit Lutetia.

PERESKIA.

PEreskia est plantæ genus flore A rosaceo, plurimis scilicet petalis B in orbem positis constante; cujus calyx C abit deinde in fructum D globosum, carnosum, mollem, foliolis instructum, in quo nidulantur E ut plurimum tria semina orbicularia & compressa F. Tab. 26.

Pereskiæ unicam speciem agnovi.

Pereskia aculeata, flore albo, fructu flavescente.

Illustrissimus D. Nicolaus Fabricius Peireskius, Senator Aquisextiensis, quem virum vel nominare laudare est, ut ait Salmasius, nedum Voluminum, sed & plantarum amantissimus & studiosissimus; nam & bibliothecam & hortum innumeris voluminibus & plantis, ex toto fere orbe immensis sumptibus conquisitis construxerat, plurimaque etiam & præclara orbi litterario paraverat Opera physica, mathematica, & Botanica; at proh dolor! perierunt excellentissimi viri prætiosi fœtus, priusquam in lucem mitterentur. Bibliothecam ejus & hortum ditaverat Reverendus Pater Theophilus Minuti Ordinis Minimorum Provinciæ Provencæ, Linguarum Orientalium peritissimus, & ad Orientem ter peragratus, Pentatheuco scilicet Samaritano Manuscripto, & quam plurimis aliis sacris Voluminibus etiam manuscriptis, nec non & rarissimis plantis, quarum ut præstantia, ita & odore omnes superavit Hyacinthus ille Indicus odoratissimus, tuberosa radice, (vulgo tuberouse,) quem primus ille ex Indiis Orientalibus in hortum Belgenserianum (Boisgencier) prope Telonum adsportavit.

BOCCONIA.

BOcconia est plantæ genus flore A, ex duobus petalis B constante; ex cujus meditullio surgit pistillum C, quod deinde abit in fructum ovato-acuminatum D, compressum, succo turgentem, & semine fœtum rotundo F. Tab. 25.

Bocconiæ unicam speciem vidi.

Bocconia racemosa, sphondilii folio tomentoso.

Reverendus Pater Dom Sylvius Boccone, olim D. Paulus Boccone

Nobilis Siculus Panormitanus, præclaris Operibus tum botanicis, tum physicis toti orbi litterario præclarissimus, qui per varias mundi partes terrestria diu contemplatus, tandem cœlestia meditaturus, Florentiæ Cistercienſem Ordinem est amplexus.

GUAZUMA.

Tab. 18. GUazuma est plantæ genus flore A rosaceo, plurimis scilicet petalis B in orbem positis, constante; e cujus calyce C surgit pistillum D, quod deinde abit in fructum E ovatum; exterius carnosum & tuberosum, intus vero ligneum, & in locula F divisum, seminibus G fœta fere reniformibus.

Guazumæ species sunt.

Guazuma arbor ulmi-folia, fructu ex purpura nigro.
Guazuma frutex, chamædryfolia, fructu lanuginoso, major.
Guazuma frutex, chamædryfolia, fructu lanuginoso, minor.

Guazuma est nomen Americanum. Oviedo Hist. lib. 8. cap. 7.

MORISONA.

Tab. 23. MOrisona est plantæ genus flore A rosaceo, quatuor scilicet petalis C in orbem positis, constante; ex cujus calyce B surgit pistillum D, cujus apex G abit deinde in fructum D globosum, cortice duro, carnosum, in quo nidulantur E semina reniformia F.

Morisonæ unicam agnovi speciem.

Morisona arbor nucis juglandis foliis.

Raius Hist. plant. *Robertus Morisonus Aberdonenſis Scotus, M. D. Botanices Professor Oxonienſis, & horti medici Præfectus, edidit Hortum Blæsenſem auctum, una cum plantarum inibi contentarum nemini huc usque scriptarum brevi & succincta delineatione. Plantarum etiam umbelliferarum distributionem novam per tabulas cognationis & affinitatis. Oxonii 1672. in folio. Item Historiam plantarum universalem. 1680. in folio. Obiit Londini an. 1683. (ut aiunt) e rheda præcipitatus, & rheda capite contritus.*

SURIANA.

SUriana est plantæ genus flore A rosaceo, plurimis scilicet petalis B in orbem positis, constante; ex cujus calyce surgit pistillum C, quod deinde abit in fructum D, ex plurimis capsulis constantem, in capitulum conglobatis, & semine fœtis plerumque rotundo F. *Tab.* 40.

Surianæ unicam speciem novi.

Suriana foliis portulacæ angustis.

Clarissimus D. Josephus Donatus Surian, Massilienſis, Medicus, Pharmacopæus, Chymicus, Botanicus; alter tandem, si diu vixisset, Dioscorides Americanus futurus: quippe qui Pharmacopæam Americanam, quam ipse experientia comprobaverat, meditabatur exhibere. Opus cum ipso obiit Massiliæ. Extat tamen de eo ad calcem illius Tractatus (Traitté des Drogues) *per Nicolaum Lemery Parisiis editi; curiosus Catalogus plantarum Americanarum, quas apud Insulas Americanas, ubi Botanici Regii munere fungebatur, observaverat; at nomenclaturis tantum barbaris ut plurimum designatas.*

RENALMIA.

REnalmia est plantæ genus flore A rosaceo, ex tribus scilicet petalis B constante, in orbem positis; e cujus calyce C triphyllo, surgit pistillum D, quod deinde abit in fructum E membranaceum, cylindraceum, in tres capsulas fissilem F, seminibus fœtas oblongis & papposis H. *Tab.* 38.

Renalmiæ species sunt.

Renalmia ramosissima, floribus variegatis & circinatis.

Renalmia non ramosa, squamata, & floribus niveis.

Renalmia alia, non ramosa, clavata, floribus aureis.

Renalmia spica multiplici, flore albo.

Renalmia alia spica multiplici, angusti-folia.

Clarissimus D. Paulus Renealmus Blesensis, D. M. Medicinæ theoricæ, practicæ & chymicæ peritissimus, ac in Botanicis versatissimus. Peritiæ ejus argumento sunt clarissimo, ex curationibus observationes ejus, quibus videre est morbos tuto, cito & jucun-

de posse debellari, si præcipue Galenicis præceptis chymica remedia veniant subsidio; specimen etiam plantarum, ubi plantæ quædam typis æneis perbelle exprimuntur. Opus extat apud Hadrianum Beys, Parisiis, an. 1611. in quarto.

ZANONIA.

Tab. 38. ZAnonia est plantæ genus flore A rosaceo, tribus scilicet petalis B constante, in orbem positis, & calyci C insidente infundibuli-formi; is autem calyx abit deinde in fructum D mollem, convolutum, succo plenum, & duobus ut plurimum seminibus E subrotundis fœtum.

Zanoniæ unicam novi speciem.

Zanonia graminea, perfoliata.

Clarissimus D. Jacobus Zanoni, Botanicus, & in Horto publico Bononiensi Præfectus, plantarum ab antiquis memoratarum discretor perspicacissimus, & dissertator sapientissimus, Historiam Botanicam edidit, in qua tum antiquorum, tum recentiorum plantæ non antea observatæ, ac ex variis orbis partibus advectæ, ad vivum tabulis æneis repræsentantur, & genuinis descriptionibus referuntur. Extat Opus Bononiæ apud Josephum Longhi 1675. fol.

MAGNOLIA.

Tab. 7. MAgnolia est plantæ genus flore A rosaceo, plurimis scilicet petalis I in orbem positis, constante; ex cujus calyce H surgit pistillum B, quod deinde abit in fructum C clavatum, durum, tuberosum, in quo veluti nidulantur L ossicula oblonga E, ejusdem figuræ nucleum F continentia.

Magnoliæ unicam speciem vidi.

Magnolia amplissimo flore albo, fructu cæruleo.

Clarissimus D. Petrus Magnol, Regis Consiliarius, in alma Monspelliensium Medicorum Academia Professor Regius, nec non ejusdem Horti Præfectus, & Professor Botanicus per triennium à Ludovico Magno designatus. Inter Botanicos nostri ævi fama magnus, & magna mercede dignus, ut qui à juvenilibus annis tum in Medicina ediscenda, tum in re Botanica amplificanda

& illuſtranda, non ſine fructu magno contulerit operam. Quam magnus ſit ejus labor teſtatur Hortus Regius Monſpelienſis, ſive Catalogus plantarum quæ in Horto Regio Monſpelienſi ab ipſo ſunt demonſtratæ, in quo obſcura multa illuſtravit, novarum aliquot plantarum icones & deſcriptiones dedit, ac virtutes etiam juxta Neotericorum principia breviter explicavit.

GUAIACUM.

GUaiacum eſt plantæ genus flore A roſaceo, plurimis ſcilicet petalis B in orbem poſitis, conſtante; e cujus calyce L ſurgit piſtillum C, quod deinde abit in fructum D carnoſum, ſubrotundum, oſſiculo, aut oſſiculis fœtum E ovatis H, & pulpa tenerrima involutis F G. *Tab.* 17.

Guaiaci ſpecies ſunt.

Guaiacum flore cæruleo, fructu ſubrotundo.

Guaiacum flore cæruleo, fimbriato, fructu tetragono.

Guaiacum, vulgo Guaiac, nomen eſt Americanum, ſatis apud Europam notum.

CALABA.

CAlaba eſt plantæ genus flore A roſaceo, plurimis ſcilicet petalis B C in orbem poſitis, conſtante; e cujus calyce E ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſphæricum F carnoſum, oſſiculo, ſeu ſemine fœtum G, ejuſdem formæ nucleum includente H. *Tab.* 18.

Calabæ unicam novi ſpeciem.

Calaba folio citrii ſplendente.

Calaba eſt nomen Americanum apud Caraibas vulgare.

BREYNIA.

BReynia eſt plantæ genus flore A roſaceo, plurimis ſcilicet petalis B in orbem poſitis, conſtante; ex cujus calyce C ſurgit piſtillum G, quod deinde abit in fructum D, ſeu ſiliquam mollem, carnoſam, ſeminibuſque fœtam E reniformibus, & carnoſis F. *Tab.* 16.

Breyniæ ſpecies ſunt.

Breynia Amygdali, foliis latioribus.

Breynia, Elæagni foliis.

Clariſſimus D. Jacobus Breynius Gedanenſis, typis aureis apud Botanicos commendandus, quippe qui tam nitidis typis, iconibus æri inciſis, tam belle delineatis & ſculptis; & quod magis, propriis ſumptibus, præclariſſima Opera, Botanicorum voluptati obtulerit, quæ multa quidem enumeranda eſſent, ſeu plurimæ Centuriæ, (quarum, proh dolor! una ſupereſt prima & ultima;) ſed iniquis flammis conſumptæ: periere etenim, uti referunt, fortuito incendio, domus, opes & Opera tanti viri, memoria apud bonos & botanicos, nec flammis, nec undis uſquam interituri.

TRIUMFETTA.

Tab. 8. TRiumfetta eſt plantæ genus flore A roſaceo, plurimis ſcilicet petalis H in orbem poſitis, conſtante; ex cujus calyce ſurgit piſtillum B, quod deinde abit in fructum C durum, ſphæricum, echinatum, & quatuor ſeminibus F angulosis fœtum E.

Triumfettæ unicam novi ſpeciem.

Triumfetta fructu echinato, racemoſo.

Clariſſimus D. Joannes Baptiſta Triumfetti Bononienſis, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctor, rei herbariæ diligentiſſimus & peritiſſimus perſcrutator & profeſſor, inſuper arcanorum Phyſicæ oculatiſſimus obſervator. Perſpicacitatis ejus ingenii ſpecimen oſtentant, obſervationes ejus de ortu ac interitu plantarum, cum novarum ſtirpium Hiſtoria, iconibus elegantiſſimis illuſtrata. Romæ, typis Dominici Antonii Herculis. an. 1685. *in quarto.*

MENTZELIA.

Tab. 6. MEntzelia eſt plantæ genus flore A roſaceo, plurimis ſcilicet petalis B in orbem poſitis, conſtante, calyci C inſidentibus, qui calyx abit deinde in fructum D tubulatum, membranaceum, ſeminibuſque fœtum exiguis F.

Mentzeliæ unicam vidi ſpeciem.

Mentzelia

Mentzelia foliis & fructibus asperis.

Clarissimus D. Christianus Mentzelius, Furstenvvald. March. Philosoph. & Medicin. D. Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliarius & Archiater, indicem nominum plantarum multi-linguem, Latinorum, Græcorum & Germanorum litteris per Europam usitatis conscripsit, & construxit; cui adjecit pugillum plantarum rariorum, cum figuris aliquot æneis, quibus intertextus est indiculus plantarum nonnullarum, Brasiliæ nondum editarum. Prostat Opus Berolini apud Danielem Reichelium Bibliop. Ex officina Rungiana 1682. in fol.

MUNTINGIA.

MUntingia est plantæ genus flore A rosaceo, plurimis scilicet petalis B in orbem positis, constante; ex cujus calyce G, surgit pistillum C, quod deinde abit in fructum D globosum, carnosum, mollem, in quo nidulantur E plurima semina exigua F. *Tab. 6.*

Muntingiæ species sunt.

Muntingia folio sericeo, molli, fructu majori.

Muntingia folio ulmi aspero, fructu minimo, glomerato.

Muntingia folio corni, fructu minore.

Clarissimus D. Abrahamus Munting Groninga-frisius, Medicinæ Doctor, atque in Patria Groningæ & Omlandiæ Academia Botanices professor, multis botanicis Operibus insignis, præcipue dissertatione historico-medica, de vera antiquorum Herba Britannica, ejusdemque efficacia contra Stomacacem, seu Scelotyrben. Historiam etiam generalem plantarum, (inter quas plurimæ rarissimæ pretiosis iconibus expressæ) sed Belgico Hollandico sermone conscriptam edidit, in folio. Lugd. Batav. apud Petrum Vander Aa, & Franc. Alma 1696.

IABOTAPITA.

IAbotapita est plantæ genus flore A rosaceo, plurimis scilicet petalis B in orbem positis, constante; ex cujus calyce C surgit pistillum, quod deinde abit in tuberculum E carnosum, cui affiguntur ut plurimum duo fructus D, olivæ-formes, molles, carnosi, osiculum G condentes ejusdem formæ, nucleo fœtum H. *Tab. 32.*

Iabotapitæ unicam vidi ſpeciem.

Iabotapita pyramidato flore luteo, fructu rubro.

Iabotapita eſt nomen Americanum. Apud G. Marcg. lib. 3. cap. 5.

CEIBA.

Tab. 32. CEiba eſt plantæ genus flore A roſaceo, interdum plurimis ſcilicet petalis B in orbem poſitis, conſtante, interdum vero monopetalo, campani-formi; e calyce autem ejus C ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum E lageni-formem, quinque-fariam à ſummo ad imum dehiſcentem, ſeminibuſque fœtum F rotundis, molliſſima lanugine G involutis, ac placentæ pyramidatæ, & pentagoniæ adhærentibus.

Ceibæ ſpecies ſunt.

Ceiba viticis foliis, caudice aculeato.

Ceiba viticis foliis, caudice glabro.

Ceiba eſt nomen Americanum. Auth. Oviedo Hiſt. lib. 9. c. 9.

OLDENLANDIA.

Tab. 36. OLdenlandia eſt plantæ genus flore roſaceo A, quatuor ſcilicet petalis B in orbem poſitis, conſtante, calyci C inſidentibus; qui calyx abit deinde in fructum fere globoſum, ſiccum, bicapſularem D, ſeminibuſque fœtum exiguis E.

Oldenlandiæ unicam novi ſpeciem.

Oldenlandia humilis, hyſſopi-folia.

Tournef. inſt. *Clariſſimus D. Henricus Bernardus Oldenlandius Germanus, Pauli Hermani M. D. & in Academia Lugduno-Batava nuper Medicinæ ac Botanices Profeſſoris Diſcipulus, Medicinæ ac plantarum ſtudioſus, quarum gratia ad caput bonæ ſpei ſe contulit, & paucis ab hinc annis periit vir, meliore fato & longiore vita dignus.*

GUANABANUS.

Tab. 10. GUanabanus eſt plantæ genus flore A roſaceo, tribus ut plurimum petalis B in orbem poſitis, conſtante; ex cujus calyce etiam tripetalo C ſurgit piſtillum D, quod deinde

abit in fructum E subrotundum, aut turbinatum, carnosum, mollem; in quo plurima nidulantur F semina dura, oblonga G.

Guanabani species sunt.

Guanabanus fructu e viridi lutescente, molliter aculeato.
Guanabanus fructu virescente, reticulato.
Guanabanus fructu subcæruleo.
Guanabanus fructu purpureo.
Guanabanus fructu aureo, & molliter aculeato.

Guanabanus, aut Guanabano nomen est Americanum, apud Gonzales Oviedo sommar. Ind. Occident. 63. cap. 64.

SAPOTA.

LIcet iisdem prorsus characteribus insigniatur hujusce plantæ genus, ac plantæ superioris; quia tamen tota facie, communi omnium Americanorum consensu & usu, florum, fructuumque natura ab ipsa omnino differat, ut facile ipsam in America consideranti patebit, ideo hujus genus peculiare instituendum censui. Est igitur Sapota plantæ genus flore rosaceo A, plurimis scilicet petalis B in orbem positis, constante; e cujus calyce C surgit pistillum D, quod deinde abit in fructum E fere turbinatum, aut ovatum, mollem, carnosum, in quo nidulatur F unum, aut duo semina subrotunda G, compressa, polita & rostrata. *Tab. 41*

Sapotæ species sunt.

Sapota fructu turbinato, minori.
Sapota fructu ovato, majori.

Sapota nomen est Americanum vulgare.

ICACO.

ICaco est plantæ genus flore A rosaceo, plurimis scilicet petalis B in orbem positis, constante; e cujus calyce C surgit pistillum D, quod deinde abit in fructum ovatum E, carnosum, mollem, nucula fœtum F, ejusdem formæ G, fragili, rugosa, & nucleum condente rotundum I. *Tab. 5.*

Icaco species sunt.

Icaco fructu ex albo rubescente.
Icaco fructu nigro.
Icaco fructu purpureo.
Icaco est nomen Americanum apud Insulas Americanas vulgare.

MAMEI.

Tab. 4. MAmei est plantæ genus flore A rosaceo, ex plurimis scilicet petalis B in orbem positis, constante; e cujus calyce C surgit pistillum D, quod deinde abit in fructum D fere sphæricum, acumine donatum, carnosum, semine, aut seminibus fœtum callosis E.

Mamei unicam vidi speciem.
Mamei magno fructu, persicæ sapore.
Mamei est nomen Americanum apud Gonsalez d'Oviedo, Hist. Ind. lib. 8. *cap.* 20.

MONBIN.

Tab. 22. MOnbin est plantæ genus flore A rosaceo, plurimis scilicet petalis B in orbem positis, constante; ex cujus calyce C surgit pistillum H, quod deinde abit in fructum D ovatum, carnosum, mollem, osticuloque F G fœtum, quatuor nucleos, quemlibet in suo loculo, includente E.

Monbin unicam agnovi speciem.
Monbin arbor foliis fraxini, fructu luteo, racemoso.
Monbin est nomen Americanum apud Insulas Americanas vulgare.

PERSEA.

Tab. 20. PErsea est plantæ genus flore A rosaceo, plurimis scilicet petalis B in orbem positis, constante; e cujus medio surgit pistillum C, quod deinde abit in fructum D carnosum, mollem, semine fœtum duro E, bilobato, & membrana G, ceu pericardio, involuto.

Perseæ unicam vidi speciem.
Persea Clusii, Hist. plant. 2.

CUPANIA.

CUpania est plantæ genus flore A rosaceo, plurimis scilicet petalis C in orbem positis, constante; e cujus calyce D surgit pistillum L, quod deinde abit in fructum E coriaceum, pyri-formem, trifariam F ab apice ad basim dehiscentem, & seminibus fœtum rotundis G, singulis pileolo carnoso affixis I. Tab. 12.

Cupaniæ unicam vidi speciem.

Cupania castaneæ folio, fructu sericeo & racemoso.

Reverendus Pater Franciscus Cupani, tertii Ordinis Sancti Francisci, sacræ Theologiæ Magister, Siculus Myrthensis, pauper opibus, sed dives Operibus theologicis & botanicis, Hortus Catholicus numerositate plantarum ditissimi, Author, quas ex remotissimis mundi plagis, nullis parcens sumptibus transferri in hortum Catholicæ apud Siciliam celeberrimum, curavit illustrissimus & excellentissimus D. Josephus Del Bosco, Princeps Catholicæ, Dux Misilmeris, Comes Vicaris, &c. quasque ipse Reverendus Pater Cupani ordinatissimo digessit Catalogo. Opus extat Neapoli apud Franciscum Benzi, 1696. in quarto.

VANRHEEDIA.

VAnrheedia est plantæ genus flore rosaceo A, plurimis scilicet petalis B C in orbem positis constante; e cujus medio surgit pistillum D, quod deinde abit in fructum E citri-formem, membranaceum, aut carnosum, duobus, aut tribus seminibus fœtum F ovatis, & carnosis G. Tab. 18.

Vanrheediæ unicam vidi speciem.

Vanrheedia folio subrotundo, fructu luteo.

Nobilis D. Henricus Van-Rheede, Van-Draakehstein, Malabarici Regni Gubernator, & clarissimus D. Joannes Casearius, Ecclesiast. in Cochin. Batavi & Horti Malabarici, operis sane immensi promotores, & directores laudatissimi. Opus hoc immensum, immensa etiam promovit opera Reverendus Pater Joannes Matthæus Neapolitanus, Ordinis Carmelitarum discalceatorum, integræ & probæ vitæ Religiosus, apud Indias Orientales Missionarius Apostolicus, cui Deus infirmos sanandi virtutem usu

plantarum Orientalium dederat. In plantis Orientalibus scientia, & earum virtutum longa experientia excellens; nullatenus tamen sui Apostolatus neglecto munere, plantas 745. in præfato Horto Malabarico contentas, iconibus & descriptionibus expressit.

MALPIGHIA.

Tab. 36. MAlpighia est plantæ genus flore rosaceo A, plurimis scilicet petalis B in orbem positis, constante; ex cujus calyce C surgit pistillum D, quod deinde abit in fructum E carnosum, fere globosum, mollem, unicapsularem, osficula F condentem ut plurimum tria alata, nucleo fœta oblongo G.

Malpighiæ species sunt.

Malpighia mali punici facie.

Malpighia lati-folia, folio subtus spinoso.

Malpighia angusti-folia, folio subtus spinoso.

Malpighia angustis & acuminatis aqui folii foliis.

Malpighia humilis, ilicis cocci-glandi feræ foliis.

Clarissimus D. Marcellus Malpighius Bononiensis, Professor Medicus, Innocentii XII. Summi Pontificis Archiater, Philosophus præstantissimus, Regiæ Societatis Anglicanæ Socius, ac tandem naturæ operum explorator accuratissimus. Veram plantarum anatomen instituit Opus sane admiratione dignum, scilicet Thesaurum locupletissimum botano-medico-anatomicum, viginti quatuor Tractatus complectentem. Extat Opus Londini apud Rob. Scott, & Georg. Wells, an. 1686. in fol. & Lugduni-Batav. apud Pet. Vander Aa, an. 1687. in quarto. Obiit Romæ præclarissimus Doctor an. 1694. 29. Novemb. apoplexia correptus.

BROMELIA.

Tab. 8. BRomelia est plantæ genus flore A rosaceo; ex tribus nempe petalis B constante in orbem positis, & calyci C insidentibus: is autem calyx abit deinde in fructum D ovatum, in tria loculamenta divisum, seminibus fœta longiusculis, & fere cylindraceis E.

Bromeliæ species sunt.

Bromelia pyramidata, aculeis nigris.

Bromelia ramosa & racemosa, foliis arundinaceis, serratis.

Clarissimus Dominus Olaus Bromelius Suecus, artis-medicæ Doctor

celeberrimus, rerum botanicarum peritissimus, Civitatis Gothoburgensis practicus ordinarius laudatissimus, & ab ipsa Flora floribus meritis coronandus, qui circa nemora & prata Gothica florum studiosus, per laborem plurimum flores carpens, Chlori Gothica, Catalogo scilicet stirpium circa Gothoburgum nascentium, ipsam Floram botanicam coronavit. An. 1694.

PLUKNETIA.

PLuknetia est plantæ genus flore A rosaceo, quatuor ut plurimum petalis B in orbem positis, constante, sed sterili. Embryones enim D à floribus sejunguntur in eadem planta; hi autem embryones quadrangulares sunt, & quadam proboscide insignes, abeuntque deinde in fructum E membranaceum, quadrangularem, in quatuor loculamenta H divisum, semine I fœta subrotundo, compresso, & intra loculum membranaceum recondito F G H. *Tab.* 13.

Pluknetiæ unicam vidi speciem.

Pluknetia scandens, hederæ foliis serratis, fructu tetragono.

Clarissimus D. Leonardus Plukenetius Anglus, Botanicus, apud Botanicos alta mente reponendus propter Opera ejus botanica sane mirabilia, & voluptate Botanicos trahentia; phytographiam & Almagestum dico botanicum, sive phytographiæ Onomasticon methodo synthetica digestum, sex fere plantarum chiliadas complectens; Opera propriis sumptibus exculpta & excussa extant Londini, in fol. annis 1691. 1692. 1696.

RIVINA.

RIvina est plantæ genus flore A rosaceo, quatuor scilicet petalis B in orbem positis, constante; ex cujus meditullio surgit pistillum C, quod deinde abit in fructum D mollem, seu baccam globosam, succo plenam, semine E rotundo fœtam, petalisque florum superstitibus stipatam; aut si mavis, est plantæ genus flore A apetalo, plurimis scilicet staminibus constante, ex calyce tetraphyllo surgentibus; pistillum autem abit deinde in fructum D mollem, seu baccam globosam, succo plenam, semine E rotundo fœtam. *Tab.* 39.

Rivinæ ſpecies ſunt.

Rivina ſcandens, racemoſa, amplis ſolani foliis, baccis violaceis.

Rivina humilis, racemoſa, baccis puniceis.

Clariſſimus D. Auguſtus Quirinus Rivinus, Lipſienſis, introductione generali in rem herbariam inter Botanicos eximios merito recenſendus; quippe qui ſummis laboribus, propriiſque ſumptibus non pepercit, ut difficultates ex confuſione plantarum in ſcientia botanica occurrentes, declinarentur. Extant ejus Opera Lipſiæ 1690. in folio, Chartæ-Auguſtæ; nempe introductio generalis in rem herbariam, ordo plantarum quæ ſunt flore irregulari, monopetalo, & ordo plantarum quæ ſunt flore irregulari, tetra-petalo.

COMMELINA.

Tab. 38. COmmelina eſt plantæ genus flore A duobus petalis B conſtante, uno verſu poſitis, & calyci quadrifolio inſidentibus C; e cujus medio ſurgit piſtillum D, quod deinde adit in fructum E membranaceum, tricoccum, ſeu in tres loculos diviſum ſemine fœtos ſubrotundo. His addi poteſt flores plures ſimul in uno loculo concludi conchi-formi.

Commelinæ ſpecies ſunt.

Commelina graminea, lati-folia, flore cæruleo.

Commelina graminea, anguſti-folia, flore albeſcente.

Clariſſimi D D. Joannes Commelinus, Urbis Amſtelodamenſis, (dum viveret,) Senator, & Caſparus Commelinus M. D. & Horti Medici Botanicus, Horti medici Amſtelodamenſis, rariorum plantarum, tam Orientalis, quam Occidentalis Indiæ, &c. deſcriptionum & iconum ad vivum æri inciſarum, Authores. Extant duo Volumina Amſtelodami apud P. & J. Blaeu, & Abrah. Sommeren, in folio. 1697. 1701.

SLOANA.

Tab. 15. SLoana eſt plantæ genus flore A, aut monopetalo, campaniformi & multi-fido, aut apetalo, plurimis ſcilicet ſtaminibus B conſtante, inter quæ ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum C orbicularem, membranaceum, echinatum, quadrifariam

drifariam dehiſcentem D, & ſeminibus E fœtum oblongis, intra loculum carnoſum reconditis G.

Sloanæ unicam vidi ſpeciem.

Sloana amplis caſtaneæ foliis, fructu echinato.

Clariſſimus D. Hans Sloane Anglus, D. Medicus peritiſſimus, Coll. Reg. Med. Lond. nec non Soc. Reg. Lond. Soc. illuſtriſſimi Principis Ducis Albemarliæ, Jamaicæ Gubernatoris Medicus. Res omnes naturales, potiſſimum plantas Inſularum Maderæ, Barbados, Nieves, Sancti Chriſtophori, & Jamaicæ ſedulo obſervavit, obſervataſque chartæ commiſit, quarum extat peramplus Catalogus Londini 1696. in octavo. Integram ejus Hiſtoriam naturalem in dies expectamus.

COURBARIL.

COurbaril eſt plantæ genus flore A papilionaceo; e cujus calyce ſurgit piſtillum B, quod deinde abit in fructum C, ſeu ſiliquam duram, unicapſularem, ſeminibuſque D fœtam duris, ſubrotundis, polline & fibris, obvolutis E. *Tab. 36.*

Courbaril unicam vidi ſpeciem.

Courbaril bifolia, flore pyramidato.

Courbaril eſt nomen Americanum apud incolas Americanos vulgare.

ARACHIDNA.

ARachidna eſt plantæ genus flore A papilionaceo, cujus piſtillum B terræ ſe ſe infigens, abit deinde in fructum C membranaceum, oblongum, unicapſularem, ſeminibuſque fœtum D, uno, aut duobus, teneris & oblongis E. *Tab. 37.*

Arachidnæ unicam vidi ſpeciem.

Arachidna quadrifolia, villoſa, flore luteo.

Arachidna, planta ad Aracum accedens.

MANÇANILLA.

MAnçanilla eſt plantæ genus flore A amentaceo, plurimis nempe apicibus B conſtante, denſo agmine D, axi E cuidam affixis. Embryones autem F in eadem arbore à floribus *Tab. 30.*

ſeparati naſcuntur, abeuntque deinde in fructum G globoſum, carnoſum, nucleum I lignoſum, rugoſum, ejuſdemque formæ includentem H.

Mançanillæ ſpecies ſunt.

Mançanilla pyri facie.

Mançanilla aquifolii foliis.

Mançanilla lauri foliis oblongis.

